MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80461-7

AUTHOR:

POHL, JOSEPH

TITLE:

LECTIONUM CATULLIANARUM ...

PLACE:

SIGMARINGEN

DATE:

1866

Master Negative #

92-80461-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C34
EZ6 Pohl, Joseph, 1835-1922
...Lectionum Catullianarum specimen [II], von ...Dr. Joseph Pohl... Sigmaringen, Liehner, 1866.
xxx p. 30 cm.

At head of title: Programm des Königlichen Katholischen gymnasiums Hedingen bei Sigmaringen...

346654

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/21/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

PROGRAMM

des Königlichen katholischen

Gymnasiums Hedingen bei Sigmaringen

vom

Schuljahr 18^{65}|66.

Als Einladung

zur

öffentlichen Prüfung und feierlichen Preisvertheilung
auf den 27. und 28. August.

Inhalt.

Sigmaringen.
Schnellpressendruck der P. Liehner'schen Buchdruckerei.
1866.

Lectionum Catullianarum specimen II.[1]

Scripsit

Josephus Pohl, phil. Dr.

In C. VALERI CATVLLI emendando carmine undetricensimo, cui quaestiones quasdam de codicibus Catullianis praemittam, quid a me praestari et potuerit et debuerit quo rectius iudicari possit, quibus subsidiis criticis adiutus sim deinceps enumerabo. Atque editiones quidem mihi praesto fuerunt hae:

Scal. (Scaligeri a. 1582), Graev. (Graevii 1680), Voss. (Vossii, Lugduni Batavorum 1691), Doer. (Doeringii 1788—1792), Am. (Joh. Aug. Amari, C. V. Catulli carmina e recens. F. G. Doeringii, gymnas. Goth. directoris, ed. J. A. A., Parisiis apud Lefèvre bibl. 1821 [2]), Sill. (Silligii 1823; insunt multarum veterum editionum lectiones et conlatio codicis Dresdensis (Dr)), Froehl. (Froehlichii in Abhandlungen der I. Cl. der königl. bayer. Akad. der Wissensch. V. Bd. III. Abth. p. 235—275, 1849), Rossb. (Rossbachii 1854 et 1860), Lachm. (Lachmanni ed. II. 1861, qua codices D et L, h. e. Caroli Dati et Laur. Santenii, exhibiti sunt toti, aliorum, in primis Laurentiani pl. XXXIII 12 (Lr) et Riccardiani (Rc) scripturae selectae), Haupt. (Hauptii ed. II. 1861), Schwabii [3]) 1866; insunt accuratius conlati codex Saugermanensis 1165 (G)DL, nunc primum excussi editique Colbertinus 8234 (C), Hamburgensis (H), editio a. 1472 vulgo pro principe habita (p);

praeterea conlationes a me ipso olim factae editionum Mur. (Mureti 1554), Scaligeri 1600, Heysii 1855;

---

[1] Quam in Lect. Catull. spec. (Dissert. inaugur. Monasteriens. Guestph., Euskirchenae 1860) p. 53 proposui Catull. **63** 78 coniecturam: Agedum, inquit, age ferox i, fac ut icat hunc furor, in ea postea vidi a Froehlichio (in Abhandl. d. k. bayer. Ak. d. W. [1849] V 3, 252) vocabulum icat iam praeoccupatum fuisse sic coniciente: Agedum, inquit, age fere, exi, face ut icat (vel: fac icat) hunc furor.

[2]) Haec ed. neque commentario instructa est neque varietate lectionis. Versuum numeri nisi carmm. 61—68 indicati non sunt ac ne horum quidem nisi summi cuiusque paginae. Ceterum eam satis frequenter a recensione Doer. discrepare Fritzius me certiorem fecit.

[3]) Haec editio critica ratione omnium facile princeps viri de Catullo optime meriti demum hac iam perscripta commentatione ad me perlata est. Quare veniam me inpetraturum esse confido, si temporis angustiis prohibitus non ubique ita, ut et ipse voluerim et hercle par fuit, eius rationem habuerim.

porro hi libri libellique: Mitscherlichii Lectiones in Catull. et Propert. 1786, Lenzii Encyclopaedie der latein. Classiker. Sechster Theil 1794, Silligii Epistola critica 1822, Hauptii Quaestiones Catullianae 1837, Observationes criticae 1841, Indices lect. aest. Berolin. 1855 et 1857, Helbigii Zur Charakteristik des Catullus, in Deutsche Jahrbücher f. Wiss. u. Kunst 1842 Nr. 305. 306 (p. 1213 sq.), Handii programma: „Q. V. Catulli carmen LV in antiquam formam restituere conatus est F. H.“ Jenae 1848 (cfr. Jahn. Ann. LVII 84), Pleitneri progr.: Des Q. V. Catullus Epigramme an und über C. Jul. Caesar und Mamurra kritisch behandelt, Speyer 1849 (cfr. Jahn. Ann. LX 328), Froehlichii: Ueber einige Gedichte des V. Catullus l. l. VI 2, 259—279, 1851, Jungclausseni progr.: Zur Chronologie der Gedichte des Q. V. Catullus, Meldorf 1857, Ritschelii Index lect. hib. Bonn. 1857 (cfr. Jahn. Ann. LXXXV 376), Ungeri progr. gymnas. Friedlandiensis: Quaestio de Tanusio Gemino Annalium scriptore 1855, Zehmii progr.: De Catulli carmine sexagesimo tertio Lauban. 1859, Gruppii Minos 1859, Klotzii Emendationes Catullianae 1859, Rossbachii progr. univ. Vratisl., quo horum quinque codicum Catulli Parisinorum: Fauriani 8236 (F), regii 7989 (P_1), regii 7990 (P_2), Puteani 8232 (Pu), G a Sillligio conlatorum lectiones publici iuris fecit, Haasii progr. Vratisl.: Miscell. philol. liber III 1861, Boehmii Quaestiones Catullianae 1862, Schwabii Quaest. Catull. liber I 1862, Hertzbergii et Teuffelii: Die Gedichte des Catullus in den Versmassen der Urschrift übersetzt 1862, Fritzii progr.: C. V. Catulli carmen LXIV recensuit Halberstadt 1863, Weisii progr.: Zur Kritik des Catull (c. 68, c. 65 und c. 101) Naumburg 1863, Bergkii Ind. schol. hib. Halae 1863, Schaffrathii progr.: Einiges über Catull und dessen Uebersetzer Bergheim 1864, Schwabii Indices schol. Dorpat.: „De codicibus archetypo et Veronensi Catullianis“ 1865 (cfr. Jahn. Ann. LXXXXIII 257);

denique habui a me olim excerptas has scriptiones, additis praeter lectiones coniecturasve hic illic longioribus adnotationibus: Huschkii Analecta litteraria 1826, Spengelii Specimen lectionum in C. V. Catulli carmina (Typis repetitum est in Seebodii Neues Archiv für Philol. und Pädagogik 1828 fasc. 4, 93—127, unde enotavi), G. Hermanni censuram Hauptii Quaest. Catull. in Jahn. Ann. XXII 303—314, Froehlichii 1) censuram Haupt. Qu. C. in Münchener Gelehrte Anzeigen 1840 Nr. 135—138, 2) Ueber die Anordnung der Gedichte des Q. V. Catullus in Abhandl. l. l. 1843 III 3, 691—716, 3) Ueber Catullus' carmen 29 in Münchener Gel. Anz. 1846 Nr. 131—133, 4) Bemerkungen über einige Gedichte des Catullus in M. G. A. 1847 Nr. 254—255, Hertzbergii animadversiones nonnullas Catull. carm. 66 interpretationi Germanicae subiectas in Zeitschr. f. Alt. Wiss. 1847 Nr. 17 p. 131, Leutschii censuram editt. Heys. et Rossb. in Göttinger Gel. Anz. 1855 p. 1961—2002, Pleitneri: Des Q. V. Catullus Hochzeitsgesänge kritisch behandelt Dillingen 1858, Froehneri: Controversen zur Texteskritik des Catullus in Leutsch. Philologi XIIII 568—585, in eiusd. Philol. (1860) XVI 618 Bergkii: Kritische Analecten et Roeperi (1862) XVIII 541: Zu Catull, Maureri in Mus. Rhen. nov. (1859) XIIII 322: Catulls 5. Gedicht, Bergkii: Zwei Gedichte Catulls ibid. (1860) XV 507, Kochii Coniectanea in poetas Latinos in Symbolis philol. Bonnens. p. 313—358 1864 (cfr. Zarnckii ephemer. 1865 p. 45), Schwabii Coniecturas Catullianas in Indicibus schol. Dorpat. 1864 (cfr. Jahn. Ann. LXXXXI 295).

Hos omnes libros quam brevissime laudabo. Siglis autem praeter ea, quae supra

indicavi, utar his: V = Veronensis, T = Thuaneus, Cu = Cuiacianus, d = correctores libri Datani, M = Memmianus, Gu_1 Gu_2 = Gudiani 283 et 332, $..^1$ $..^2$ $..^3$ $..^x$ = manus prima, secunda, tertia, incerta post primam, $..^a$ $..^b$ = prius, posterius scripsit manus eadem, * = rasura. Ceterum notae D et D^1 ita differunt, ut D significet lectiones primae manus a correctoribus (d) non temptatas, D^1 idem quidem quod D, sed ut praeterea aliquid mutatum sit; editt. Reg. Vic. Brix. Ald. Guar. = editiones Regiensis (1481), Vicentina (1481), Brixiensis (1486), Aldina (1502), Guarini (1521); reliqua qualia sunt add. = additum, addiderunt &c., prob. = probavit, probantibus &c., rec. = receperunt &c., sscr. = suprascriptum, om. = omisit &c. quisque facile intelleget.

§ 1. Silligium ad suam ipsius editionem codices Parisinos contulisse.

In Rossbachii progr. p. 4 haec verba conlationibus Silligianis praemissa leguntur: „NB. Catullus et Tibullus ed. Amar. Paris. 821. 12.“ Qua nota in errorem inductus cum Boehmius p. 29 Silligium varias codicum Parisinorum lectiones descripsisse opinatus esset ad normam editionis Amarianae, Fritzius p. 2 recte quidem adfirmavit descripsisse ad suae ipsius; sed cum rem argumentis non probasset, a me per epistulam rogatus, ut summam argumentorum suorum breviter mecum communicaret, humanissime rescripsit, se nisum unius carminis 64 variis lectionibus, in quibus nullum inesset conlationis ad Amarianam factae vestigium, Silligium, ut vel natura rei ferret, sua editione usum esse adfirmasse. Ac profecto viginti quattuor illius carminis lectiones, quas Fritzius mihi excripsit in conlatione Silligiana cum Amarianis consentientes, cur enotaret sponte intellegitur causam fuisse nullam ad Amarianae normam excerpenti. Nonnulla exempla promam: **64** 313 habet ed. Sill. *prona*, Am. FP_1P_2PuG, ut in singulis diserte Sill. adnotavit, *prono*; 334 *unquam tales* Sill., *tales unquam* Am. F; 402 *poteretur* Sill., *potiretur* Am. FP_1P_2Pu, quibus ex aliis carminibus addo: **73** 5 *neque acerbius urguet* ed. Sill., *nec acerbius urget* Am. G; **96** 4 *amissas* Sill., *missas* Am. FP_1P_2PuG; **44** 17 *ulte* Sill., *ulta* Am. FP_1P_2PuG. Sed his cum potius id tantum demonstratum esse videri possit, non esse a Silligio adhibitam Amarianam, quam esse revera ipsam suam, quae ipse interea alia argumenta inveneram, non abs re videtur in medium adferre. Ac primum quidem, si accurate interpretaris, ne continetur quidem ipsis notae verbis iste error; res vero ipsa his certissimis arguitur argumentis: Ad carm. 68 p. 14 conlationis Silligius haec de P_1 scripsit: „Post 49 legitur vs. 16. Deinde est spatium unius versus, cui 2. manus inscripsit vs. 50. ut in mea editione legitur,“ et p. 11 ad **55** 1 haec: „LV (Manus secunda pro nostra lectione, quaestu [sic! puto: quae in] codice legitur, reposuit: Exoro si tibi forte.“ Porro carminum versuumque numeri, qui sunt in conlatione, non congruunt cum ed. Amariana, congruunt cum Silligiana (cfr. inde a carmine 86, post quod usque ad finem libri Catulliani singuli numeri carminum Amarianae uno minores sunt; contra in carm. 29 post v. 5, in carm. 62 post v. 32, in carm. 64 post v. 235 versuum numeri uno sunt maiores). Quod vero interdum etiam consentientes cum sua editione lectiones exhibet, id patet eum plerumque fecisse consensus illius planissime testandi causa, id quod vel literis intermisso spatio latius dispositis evincitur; sunt enim fere loci, quos aut ipse coniectura temptavit, aut Dr

et editiones antiquae aliter scriptos praebent. Cuius rei haec exempla documento sunt: **23** 7 ***Nec*** *mirum* Sill. Am. G, *nimirum* Dr; **38** 2 *et* ***est*** Sill. G (Schwabio teste *est* G om.); *est*, om. Am., Sill. coniectura restituerat, Dr totum versum om.; **101** 4 „*mutam* (*sic*)“ G Sill., *mutum* Am., quod „vulgo“ scribi Sill. in edit. dicit; **63** 74 *propalam* G (at e Schwabii silentio *propalam* omnino abest) Sill. e coniectura, P_1 („at *palam* serius lineae suprascriptum“); **55** 17 ***Num*** Sill. Am. P_1, *Nunc* P_2PuG, ***Nun*** (*u* in litura) F, „Pro *num* Reg. et Vic. male: *nunc*“ Sill. in ed.; **64** 334—337, qui neque in ed. Sill. neque in Am. desunt, adesse testatur; etenim in ed. hos versus in codd. nonnullis deesse adnotaverat. Quod denique interdum etiam lectiones quas nihil attinebat, quippe et in Sill. et in Am. extantes praesertim in P_1 enotatas offendimus, incuriae nescio cui tribuendum esse videtur; an quid sibi volunt in P_1 **10** 12 ***esset*** **31** 2 *quas****cunque*** 3 *mari****que*** 4 *quam****que*** 5 ***mi ipse*** 7 ***est*** 8 ***reponit*** 11 ***unum*** 12 ***atque*** **37** 8 ***una*** **40** 1 ***te*** **64** 127 ***in*** **66** 86 ***ego*** **77** 5 *heu* ***heu?*** Sed utut id est, Silligium codices Parisinos contulisse ad suam editionem iam sole clarius est. Idem Schwabius dicit ed. p. VIII, addens, conlationem illam nec diligenter factam nec diligenter editam esse. Id ita esse quoniam nunc quivis conlationibus codicis G Silligiana et Schwabiana inter se comparatis dispicere potest, equidem quam peculiarem paragraphum, qua Silligii silentio in rebus orthographicis ostenderem parum fidei esse, conscripseram, eam supprimam; nam quae de codice G valent, ea de reliquis quoque, Dr non excepto, valere non est quod neges. Quamquam possim, si opus sit, probare. At enim, ut tandem ad rem propositam redeatur, quid de nota illa dicamus? Sic mihi rem expedio: Editio Amariana, quae in „notitia literaria“ ed. Silligianae non commemoratur, cum Sillígio, ut videtur, anno demum 1827 vel 1828 Parisiis degenti (cfr. Sill. Plin. N. H. praef. p. II et Jahn. Ann. XIII 259 sqq., qui liber nunc mihi non ad manum est) innotuisset, ab eo loco illo parum quidem idoneo aliorumque, quid rei esset, ignarorum errori facile obnoxio, ne animo excideret, notata est. Rem ita se habere signo illo „NB“ declarari videtur, quod eis rebus adscribere consuevimus, ad quas animum praecipue advertere vel quas ne obliviscamur cavere volumus.

§ 2. Codex G reliquis et fide et bonitate praestat.

Carminum Catullianorum codices hodie superstites cum praeter unum T (saec. X), quo solum carmen 62 continetur, e V, scripto fortasse saeculo VIIII (cfr. Schwabius De cod. p. 4, praef. ed. p. II), ineunte saeculo XIIII Veronae reperto, hodie, ut videtur, amisso tamquam e communi fonte derivati sint omnes, primum critici munus apparet id esse, ut, quid in archetypo illo scriptum fuerit indaget, — quod si quando ut reperiretur contingeret, nullum fere nostrorum librorum pretium futurum esse Boehmius p. 2 recte adfirmavit — alterum, ut, quatenus archetypi scripturae rerum sententiarumque probabilitati, orationis legi usuique, rei metricae similibusque id genus satisfaciant, examinet. Atque quandoquidem codicum illorum duo sunt genera, unum summa fere fide exaratorum, alterum foede interpolatorum, illud quidem ut certo constitui possit, neglectis libris adulterinis, quorum correcturas quantumvis saepe egregias non pluris quam meras coniecturas aestimandas esse Schwabius (De codd. p. 3) recte monuit, hi quinque in primis consulendi sunt: GDCLH. In his extant

inscriptionibus exceptis loci prorsus fere eisdem labibus in omnibus adfecti circiter 775, cum in V fuerint circiter mille; reliqui librariorum studio emendati leguntur. Sed eidem librarii mendorum numerum neglegentia ita auxerunt, ut, additis orthographicis erroribus, nunc corruptus sit C locis omnino circiter 1267, G 1395, L 1457, H (cuius tamen vitia insana se non omnia enotasse dicit Schwabius p. XIIII n. 36) 1697, D 1709; contra eadem ratione solus vitiatus est C locis 61, G 143, L 152, H 215, D 419, solus genuinas lectiones aut certe minus contaminatas servavit D locis 114, G 62, C 51, H 28, L 23. In hac computatione nullam rationem habendam esse censui lectionum manus secundae, quippe quas saepe (excepto G) aut e mera coniectura aut ex aliis codicibus, quamvis saepe recte, postea inlatas esse pateat. Atque ex his numeris suum cuique pretium statuenti facile palma ad C deferenda esse videatur; verum constat non tam numerandas esse codicum lectiones nec ipsos codices, quam ponderandas diligenterque investigandum, ex quali quisque quam vetere quamque bono exemplari quanta cura ac fide sit transcriptus. Itaque sciendum est C singulari quodam studio operam dare emendandis erroribus orthographicis idque eventu plerumque felici, interdum infelici; ceterum autem etsi meditatae interpolationis vestigia in eo vix reperias, tamen ne bonis quidem propriis excellere. Quod longe secus se habet in G; primum enim is omnium est antiquissimus (scriptus a. 1375), Schwabio [4]) auctore descriptus ex ipso V; deinde quae peculiaria bona habet, saepe conspicua sunt summa proprietate, denique menda nativa quadam simplicitate nullam redolente interpolationem. Quid quod etiam lectiones vel inter lineas vel in margine scriptas, quas iam in V fuisse et plerumque manui primae deberi certum est, G fere omnes religiosissime exaravit, ceteri contra ea delectu quodam modo feliciter, modo infeliciter adhibito (cfr. Boehmius p. 32, Schwabius De codd. p. 15, praef. p. XX). Ac voces quidem formasque rariores antiquioresve G servavit **2** 3 *atpetenti*| *at petenti* G sscr. *al. patenti* G^{3b} (*parenti* G^{3a}) *ac petenti* LCH *ac appetenti* D^1 *appetenti* pd (cfr. Reisig. Vorles. üb. lat. Sprachw. p. 279, Wagner Orthogr. Vergil. 423 sq., Ritschl. Prol. Trin. p. XCIX et Stich. p. XVI, Quinctil. I 7, 5, XII 10, 32, Corssen Ueber Aussprache, Vokalismus cet. I 71 einsdemque vol. Addenda ad 72, 4); **2** 8 *adquiescat*| *adquiescet* G *acquiescet* DLCHp (cfr. Hoch. Quaest. orthograph. p. 23 progr. Monast. ad Eifliam 1848, quibus adde Plin. N. H. palimps. Veronens. p. 250, 14 ed. Mone *adquiri*, Pinder. Ant. Münzen Berolin. 1851 n. 804 *Arab(ia) adquis(ita)* (p. Chr. n. 105), quem nummum suspicor esse = Eckhel. VI 420); **11** 3 *ut*| G *ubi* DLCH (e glossemate ortum); **11** 10 *risens*| G *ridens* D^1LCH; **24** 9 *Haec tu qua*| *Hec tu qua* G *Hoc tu quam* LCH *Nec tua quidem* D^1; **52** 3 *perierat*| G (Lr) *peierat* DLCHp (cfr. Usener. Jahn. Ann. LXXXXI 226); **56** 5 *Deprendi*| G *Deprehendi* DLCHp; **5** 8 *Dein mille altera, dein secunda centum*| Ad haec Schwabius: „*Deinde mi**** *altera da* **** *secunda centum* G^x, sed, ut hodie quoque clare dignosci potest, *Deinde mille altera deinde secunda centum* G scripserat: quam lectionem genuinam etiam codicis L manus nescio utra praebet. totus enim versus prius in textu omissus postea in margine additus est. eum supplevisse L^2 mihi quidem

[4]) Acta conventus philol. German. Misniensis (Lips. 1864) p. 111—119, quibus Schwabius illam sententiam demonstrasse perhibetur, inspicere mihi non licuit. Boehmii autem rationes p. 33 sqq. nixi Silligianae conlationis neglegentia (an dicam mala fide?) magnam partem iam conciderunt.

probabilius visum est. ['versus 8 in manu scriptis legitur *Dein mille altera, deinde secunda centum*' Statius] *Dein mille*] *Deinde mi* (d *me* D^1) CHDp [Lr Rc Fu P$_2$ *Dein mi* P1'Pu] *dein secunda*] *da secunda* DCHp 'et plerique omnes' Lm. cfr. etiam Silligii cens. 289 [*da secunda centum* omnia in litura P1]"; **22** 4 *esse ego*] G *ego esse* D'LCH; **62** 8 *certest*] G (sed * corr. *certe*) *certes. l.* T *certe* DLCHp (in V fuisse videtur *certe* et fortasse literarum reliquiae quaedam non satis perspicuae, pro quibus etsi librarius recte scripserat *st*, tamen religione ductus erasit); **78** 10 *fama loquetur anus*] *famuloque canus* G *famuloque tamis* H *famuloque tenus* LC *famulosque tenus* D^1 (mendum ortum est compendio *loquet*^{2} = *loquetur*; cfr. **17** 6 *suscipiant*: **105** 2 *furcillis*] *furcilis* G *furtilis* H *forcillis* LC *fortillis* D^1; **63** 85 *adhortans*] *adhortalis* G („litterae extremae ita scriptae sunt ut exemplaris unde G descriptus est ductus fideliter expressi esse videantur. nam et ultimae litterae *s* forma ab forma huic libro propria valde discrepat, deinde littera paenultima nec *h* nec *li* est nec *n*, cui tamen, praeter apicem priorem iusto proceriorem, simillima est." Schwabius) *adorta* (*adorata* H) *lis* LCHp *adoram talis* D^1 *adhortatus lis* d; 130 *haec*] *hec* G *hoc* LC *has* H om. D^1; 249 *quae tum prospectans*] *Quem* G^a || *tamen* GD'LCHp || *aspectans* G^{x}D'LCHp (locus memorabilis est; primum (cfr. **1** 5. **16** 7) compendio scripturae *tū* (= *tum*) factum est *tn̄* (= *tamen*); quo facto ut metrum resarciretur interpolatum est *aspectans*; G autem nihil nisi sui exemplaris fidem curans genuinum *prospectans* retinuit); **67** 39 *heic*] *hec* G *haec* LCp *hic* D^1 *hoc* Hd. Similiter contra reliquorum consuetudinem fere *pulcer* et *sepulcrum* praebet, **76** 26 *dei* (*dii* DLCHp), alia, quae plerumque manifestum esse puto librarii non tam deberi ingenio quam fidei. Quae quidem etiam maior videri debet, cum, quam religiose homo, quem non indoctum fuisse ipsius subscriptione docemur, vel aperte falsa transcriperit reputaveris. Velut **67** 46 praebet *collat* pro *tollat*, **100** 7 *correret* pro *torreret*. His exemplis admoneor correptelae in G saepissime obviae, dico *c* pro *t* exaratum; quod vitium sequente *i* medii aevi fuit, ante reliquas literas similitudine apicum natum. Itaque saepissime talia habet qualia sunt *eciam*, *pocius*, *tercius*, *iusticiam*, *duriciem*, *precium*: sed eadem in reliquis quoque satis frequenter occurrunt, ut **100** 6 *amicicia* GLHp; **2** 1 *delitie* DLCHp; **83** 2 *leticia* GDLp; **14** 3 *raciniano* L'C *vacciniono* H. Nec pluris facienda sunt saepissime *e* prae *ae* vel *oe*, *i* pro *y* vel *y* pro *i* scripta, in quibus reliquos saepenumero consentientes habet. Praeterea G paene constanter exhibet *millia*, quod fortasse ipsius Catulli manum repraesentat (cfr. Corssen Ueber Aussprache, Vokalismus cet. I 82 cum Addendis ad 82, 7, Mommsen. C. I. L I. ind.), reliqui saepius *milia*. Quid de illis dicam quae sunt *nunciare*, *ocium*, *littus*, *Juppiter* (G semper *Jupiter*) aliis, quae vix tandem hodie melioribus locum cedere coeperint? Quid multa? Fuit omnis ista scriptura iam in V, unde fidelius in G, quam in reliquos translata est. An quid causae esse statuamus, quod carm. 42 G quinquiens, id est constanter, exhibeat *mecha*, C totiens *moecha*, D bis hoc, bis illud, H semel *mecha*, ter *moecha* (D'H om. v. 12), L quater *moecha*, semel *mecha*? De *michi* et *nichil* sic constanter in G scriptis non ausim eadem confidentia adfirmare; cfr. **61** 61 *nil*] *Nihil* LC *Nichil* G^a („sic V" Schwabe). Quamquam istae formae sat saepe etiam alibi reperiuntur, ut *michi* in Inscr. christ. ed. Rossi I n. 411 (anni 393 p. Chr. n.);

porro in Prisciani codicibus Veronensis aetati supparibus Vol. II 224, 16 H: *nihili*] *nichili* N, *nichil* S, ib. *nichili* NS; ib. 305, 24 *nihilo minus*] *nichilominus* N; 338, 21 *nihilominus*] *nichilominus* N; 340, 14 *nichilominus* Nr, *nichilhominus* R (optimus saec. VIIII). Plaut. Mil. glor. 19 „*nichil* D constanter" (Ritschl). Talibus igitur mendis, si dis placet, factum est, ut supra, ubi ea connumeravimus, non G primo loco poneretur, sed C; sed his tantum abest ut illius fides praestantiaque imminuatur, ut etiam maxime commendetur. Restat, ut, quod de lectionibus intra lineas vel in margine codicis G scriptis dixi, aliquot exemplis inlustrem: **2** 9 *ludere*] G sscr. al.' *luderem* G^3 *luderem* D^1; 13 *ligatam*] DLCHp *negatam* G al.' *ligatam* G^1 *negatam*, corr. *ligatam* P$_1$; **6** 9 *et hic et ille*] D *et hec* (*haec* L sscr. al.' *hic* G^3) *et illo* (sscr. *al.' ille* G^2) GLC *hoc et illo*. *ut hic et ille* H; **7** 4 *lasarpiciferis*] *Lasarpici feris* (sscr. *al.' fretis* G^2, in marg. ead. m. *l fretis* C) GD'LCp *Lasarpici fretis* H; ibid. *Cyrenis*] *ty*renis* G sscr. al.' *cyrenis* G^1, *tyrrenis* et in marg. ead. m. *l cyrenis* C *tyrrenis* L *tyrenis* H *cirenis* dLr *arenis* D^1; **12** 4 *salsum*] G sscr. *al.' falsum* G^2 *falsum* D'LCHp; 15 *muneri*] *numeri* GLC^a *al.' muneri* G^{3}C^b mg. **14** 16 *salse*] G sscr. *al.' false* G^2 *false* DLCHp; **16** 7 *tum*] *tamen* GLC^{a}H *al.' tum* G^{2}C^b; **23** 7 *nec mirum*] *Nec* (sscr. i) *mirum* G^a et ^{b} *Ne mirum* LCH *Nimirum* D^1; **24** 5 *quoi neque*] *qui neque* G *qui nec* LCH *cui nec* G^{2}D; **31** 5 *credens*] *crederis* G (*al.' credens* G^2) D'H; **33** 4 *voraciore*] *voratiore* G sscr. *al.' volantiore* G^1 *volantiore* L^{a}CH in margine *al.' voratiore* L^b; **36** 12 *uriosque*] *utriosque* GD^1 sscr. *al.' uriosque* G^1 *rivosque* H; **40** 8 *poena*] *poema* GHL^b *al.' poena* G^1 *penna* L^a *pena* D; **50** 13 *essem*] *omnem* (ortum confusis compendiis *ēem* (= *essem*) et *oēm* (= *omnem*)) GD^1 *al.' essem* G^1; **61** 177 *uritur*] GDL^{2}p *urimur* G'L'CHLr omnes Statii; 232 *bonei*] D'G^1 *bolnei* GL^{a}C *holnei* H *bonlei* L^b *boni* dp; **64** 3 *Phasidos*] *Fascidicos* G al.' *Phasidos* G^2 *Fasidos* D *Phasidicos* LCH; 28 *Nereine*] *nectine* GLC *neptine* G^{2}Lr *neptune* H *neptunne* D^1 *neptunnine* dp; 109 *obvia*] G^{2}L^{2}HP$_1$Lr *omnia* GDL'Cp; 355 *prosternet* G^{a}L^2 *prosternens* G^{b}DL'CHp; **66** 35 *sei*] *Sed* G *Si* G^{2}DLCHp; 54 *Arsinoes*] *asineos* GL^{a}C *arsinoes* G'L^{b}D^1; 56 *collocat*] G^{2}L^{2}Dp *advolat* GL'CH; **106** 1 *esse* GL^{2}d *ipse* D'L'CHp. Nolo plura congerere; nam vel ex his scribam codicis G apparet serviliter, ut ita dicam, quae in suo exemplari invenisset, etsi sine dubio partim falsa esse intellegeret, maluisse imitari, quam facili negotio corrigere. Quodsi interdum dormitare videtur, id tribuendum est aut oculorum animique humani communi inbecillitati, aut fortasse etiam eidem ipsi fidei, id quod nonnullis exemplis adprobetur. **61** 176 *ac*] *hac* G; sed similiter **64** 229 *ac*] *has* GDLCH et **67** 22 *ad*] *hanc* GDLCHp; **42** 14 *potest*] *potes* G; sed **33** 8 *potes*] *potest* GDLCH; **68** 80 *viro*] *virgo* G (contra metrum eamque ob causam vix consilio, sed socordia propter antecedens *Laudamia* inlatum.) Neque quicquam probant **115** 8 *mentula*] *mentulla* G **110** 6 *Aufilena*] *Auffilena* G **95** 3 *interea*] *interrea* G similiaque comparata cum **64** 151 *supremo*] *suppremo* GDLC, aut **108** 5 *gutture*] *guture* G cum **100** 7 *flamma*] *flama* GDL. Unum e mendis gravissimis, nisi hic quoque reliqui correcti sunt, est **102** 1: *amico*] *antiquo* G, quod scribam ex *antico* a se pro *amico* lecto fecisse Schwabius arbitratur. Sed hercle bene actum esset

cum Catullo, si reliqui numquam interpolationibus inquinatiores essent. Quo in genere reliquos facile superat D, liber, ut ait Schwabius, et bonitate et pravitate memorabilis; qui nisi saepenumero cum G genuinas lectiones servasset, vix ullus eius propter interpolationum frequentiam esset usus, licet non pauca bene correcta habeat. E larga vitiosorum exemplorum copia nonnulla adscribam, simul reliquorum varias lectiones additurus: **4** 26 *senet quiete*] *Sonet quietem* D' *Sine quiete* H; **6** 8 *sertis*] *Sertisque* D'; **7** 5 *oraclum*] *Ora dum* GLCH *Oradum dum* D', **10** 1 *Varus*] *Varius* GLC *Varrus* Hd *Verannius* D' (*Verani* legitur *9* 1); **12** 14 *saetaba*] *sethaba* GLCH *Setaba* d *sataba* p *thessala* D'; **22** 6 *novei*] *nove* GLC *novem* D'Hp; **36** 14 *Golgos*] *alcos* GLC *aleos* H *alios* D' (corruptela memorabilis; primum e *Golgos* factum est vi pronuntiationis mollioris, ut similia saepe, *colcos*; tum priores literae ***co*** coaluerunt in ***a***; cfr. **48** 4 *videar*] *inde cor* (*tot* D') GLCHD'; denique in D, dubium socordia an studio efficiendi vocabuli saltem Latini, inlatum *alios*); **44** 8 *venter*] *vertur* GLC *vertetur* H *virtus* D' *veretur* dP_1; **55** 7 *prendi*] *prehendi* GLCHdp *perdidi* D'; **64** 301 *Pelea*] *Pallada* D'p *Palea* LrP_1 *pellea* d; 308 *talos*] d *tuos* GLCH *rubicunda* D'Rc (primitus interpretamentum fuit supra *purpurea* adscriptum); 366 *copiam*] *copia* H *omnia* D; 369 *succumbens*] *subccubens* G *procurrens* D; **66** 21 *luxti*] *lusisti* D' *luxisti* d; 87 *semper*] *magis* D; **68** 13 *accipe*] *Aspice* D'; 41 *qua me Allius*] (sic Scaligerum secuti recentiores plerique; quid mihi ipsi videatur, nunc longum est expromere) *quam fallius* GLCHp *quam fallimus* D' *quam mallius* d; **76** 22 *laetitias*] *leticias* GLp *letitias* d *delitias* D'; **78** 7 *purae*] *puer* D'H; **90** 5 *ut*] *ait* D' || *veneretur*] *voreretur* D; **93** 2 *nec scire*] *Nec si ore* GLCP_1 *Nec* (*Ne* d) *si orem* dp *Ne nisi orem* D' *Nec si in ore* H; **95** 9 ultimum versus vocabulum om. GLCH *laboris* Dp; **101** 7 *haec*] *hoc* GCLH om. Dp (cfr. Schwabe Qu. I 275); *prisco quae*] *priscoque* GLCH *prisco quo* d *prisco de* D'p (*de more*, locutio vulgaris); 9 *multum manantia fletu*] *multa mea munera fletu* D'; **104** 2 *mihi nobis* D'; 4 *cum Tappone*] *cum cappone* HLr *cum caupone* dp *cuncta potes* D; **108** 4 *execta*] *exerta* GLCHdpP_1 *excepta* D'.

His addere placet interpolati L haec exempla: **4** 6 *minacis*] *mina ei* GD'HP_1 *ei mina* C *ei minas* L *minaces* p; **10** 9 *neque ipsis*] *neque in ipsis* D' *neque in* * *ipsis* G („quattuor litterae inter *neque* et *ipsis* erasae: in rasura trium priorum, quae *eis* vel *iis* fuisse possunt, vocula *in* superscripta est, quarta *l* vel *ſ* fuisse videtur" Schw.) sscr. *al.' neque ipsis.* *n* (sscr. *c*) G^3 *neque nec in ipsis* LCH; **17** 7 Colonia] *culonia* L (propter v. 1, ubi eandem mendam habet, ut etiam reliqui, sed GD'H insuper vocabulis male divisis sic: *Oculo in aque*); **21** 12 *desine*] *desinat* GD' *destinat* H *desinas* LC; **23** 12 *corpora*] *cornua* L^aC (sequitur *cornu*); **27** 7 *merus*] *meros* D' *meus* LC || *Thyonianus*] *thionianus* GCD' *echionianus* H *tyonianus* p *antonianus* L; **34** 5 *Latonia*] *Latona* LHp; **36** 14 *colis quaeque*] *Colisque* GDCH *Colis* (*que* om.) L (errore saepe obvio syllaba bis ponenda semel intercidit, in L autem ineptum, ut videbatur, *que* interceptum est); **38** 2 *malest me*] *Male si me* GD' *Male est si me*] LCHdp (librarii *est* requiri sentientes, nec tamen in *si* latere animadvertentes interpolandi pruritui indulsere;

cfr. Ritschl. Prol. Trin. CVII.); **55** 16 *lucei*] *lucet* GD'H (cfr. **4** 23 *amaret* = *a marei*) *licet* LC *licenter* dp; **61** 44 *dux*] *Dii* L'; 104 *volet*] *nolet*. D *nollet* L; **64** 350 *cum in cinerem*] *Cum in civium* GC *Cum civium* L *Cum in curuum* H **76** 25 *taetrum*] *iterum* L'C *totum* p; **83** 4 *gannit*] *ganit* H *canit* L' *garrit* Lr.

His unum pro multis addere liceat exemplum, quo, quas interpolationes GDLCH communes habent, eae quales iam in V fuerint clarius perspiciatur. Igitur quod **27** 5 legitur *quo lubet*, id in V fuit *quod iubet*; primum auxiliante fortasse quod v. 3 legitur *iubet*, e *lubet* factum est *iubet*; tum, ne obiectum quod dicimus deesset, *quo* in *quod* mutatum. Tenendum est autem omnino in mendis oriundis plures saepe causas aut concurrisse aut certe potuisse concurrere, ita ut, unde origo sit mendi repetenda, difficile sit certo dicere. E. g. Schwabius De codd. 17 quae **66** 6 in codd. leguntur *girodero* vel *guioclero* similiaque *devocet* pro: *gyro devocet* hisce explicat: „*devo* syllabae per dittographiam iteratae priore loco in *clero* corruptae sunt;" mihi potius corruptum videtur e *circo* ad explicandum Graecum vocabulum (γῦρος) primum suprascripto, postea in verborum ordinem recepto. Similia exempla Schwabius ipse adfert p. 15, eademque ratione **63** 5 *iletas* GLC *illetas* H *illectas* D' mihi orta videntur ex *ile* sscr. *tas* (probo ibi Hauptii lectionem). Sed ut ad rem propositam revertar, huic largae lectionum variarum copiae exempla addere ex HC petita non necesse duco, cum iam supra satis multa inserta legantur. Praeterea vereor, ne numerus eorum paene in maius mihi succreverit, quamquam nec prorsus inconsulto congessi, nec, puto, plane inutiliter. Etsi enim in tali quaestione, si verum fateri volumus, non exemplorum delectus quidam, sed omnia exempla respicienda sunt, tamen vel hic vix dubito quin suffecturus sit, quo nixi quid de ratione ac pretio codicum GDLCH statuendum sit, recto iudicio aestimemus. Ut breviter dicam, quid sentiam, G omnium longe princeps est cum bonitate lectionum tum fide librarii, cuius lectiones si cognitae fuissent Lachmanno (fuisse autem non cognitas vel hoc indicio est, quod neque umquam hunc codicem vere aureolum commemorat, et nota „D solus" **55** 18 lectioni *tenens*, quam tamen eandem G habet, ab eo adiecta), non dubito quin huius potius auctoritatis fundamento emendationem Catullianam superstruendam existimaturus fuerit, quam D et L. D autem ubi cum G conspirat, dubium non est quin Veronensis lectionem habeamus. L etsi sinceris libris in universum recte adnumeratur, tamen proprii boni praeter ceteros paene nihil offert; quod sicubi obvium est, suspitio nascitur felicis coniecturae. Etenim qui hunc codicem exaravit librarius, sibi aliquid sapere videbatur; sententiarum conexui caute opitulaturus leviores quasdam mutationes non horrebat, quamquam graviores non audebat. Quare eius unius perdubia fides praecipuusque usus reliquorum lectiones suo consensu aliquatenus confirmandi dubitantemque hic illic in rectam viam ducendi. Quae omnia etiam valent de C paulo vel cautiore felicioreque. In D vero nescio leviusne atque ineptius grassari dicam interpolationem an audacius; sed iuxta miram incuriam licentiamque haud raro summa diligentia ac probitas eminent sui exemplaris vestigia tamquam depositum religiose servantes. Quid quod librarius saepius, quae certo legere non posset aut depravata esse intellegeret, interstitio relicto supprimere, quam dubia aut ex ingenio suppleta tradere maluit; cfr. **110** 7. **108** 1. **101** 8. **97** 6.

66 59. **84** 2. **66** 6. **65** 9. **64** 55 (v. Fritzium p. 10). 307. **107** 7. **111** 4. His denique H ita accedit, ut, licet neglegentissime scriptus sit, tamen fide reliquis non multum cedat. Quae cum ita sint, quid V habuerit plurimis locis certo statui poterit, nonnullis circumspecta coniectura divinandum erit.

§ 3. Quaedam de codice P_1 [5]) reliquisque interpolatis.

Eis quae disserui de genuinis codicibus ut addam nonnulla de adulterinis, causa est quod Hauptium, virum de Catullo optime meritum, Qu. p. 49 P_1 „praestabilem bonitate librum" dixisse video. Cui iudicio vereor ne non multi suffragaturi sint. Leguntur quidem locorum in GDLCH eodem modo corruptorum in P_1 quadraginta quinque (tot certe enotavi) emendati; sed earundem emendationum F habet triginta unam, Dr viginti tres, P_2 viginti sex, Pu viginti duas. Horum P_1 solus verum praebet his duobus tantum (nam **34** 12 *Amniumque* etiam d praebent) locis: **68** 74 *Laudamia* (cfr. Usener. Jahn. Ann. LXXXXI 227), **107** 6 *lucem*; sed *Laudamia* aliis locis etiam alii codd. servarunt, ut **68** 105 „omnes fere Sant. codd." (Sill.) et **68** 80. 105 F, et *lucem*, quam coniecturam facillimam in reliquos invectam non esse sane mireris, nonnulli Statii codd. d Cu. Sed his exemplis nihil probatur, cum idem interdum vel in codicibus eveniat interpolationibus refertis, velut in F his locis: **63** 81 *verbera*] F *verum vera* (*veri* H *veta* Dr) GDLCpHDrP_2Pu *ver vero* P_1; **50** 19 *ocelle*] *ocelle* [*o*] F *ocello* reliqui; **71** 2 *quem*] F *quam* GD¹LCHP_1Dr *aliquam* P_2Pu p. Pluribus conquirendis operam perdere nolui; quamquam duo vel ex his intellegi confido, primum consulendos esse levidenses codices, non ut eorum fide nitamur, sed ut, praebeantne forte fortuito bonam coniecturam, inspiciamus; alterum, librarium codicis P_1 in recipiendis coniecturis reliquis versatum esse aliquanto et acutius et felicius. Ceterum quadraginta quinque illas bonas lectiones meras coniecturas esse docemur totidem fere locis, quibus cum GDLCH aut veram aut certe meliorem scripturam servarint, P_1 foede interpolatus est. Nonnulla exempla adscribam: **3** 18 *rubent*] *t*[*c*]*um*[*b*]*ent* P_1; **37** 7 *centum an ducenti, non*] *Centum an plures non* P_1; **47** 7 *in trivio*] *de die* P_1; **64** 86 *lumine*] *regia* P_1; 250 *saucia*] *pectore* P_1; 286 *impendentes*] *impedientes* P_1H; **66** 48 *Chalybon*] *celitum* GD¹L¹CHp *celtum* Lr *scelerum* dP_1 *caelorum* L^2; **68** 46 *charta*] *certa* GD¹L¹Hp *cartha* L^2 *carta* d *curva* P_1 (anum h. l. id quod vetulam esse librarius opinatus e *certa* codicis V ingeniose *curva* conicere sibi visus est); **66** 11 *est* P_1 perperam interpolavit (explendi hiatus causa); **64** 344 *campi* (?)] D¹L^b *tenen* GL^aC *teren* Lr *trunci* dP_1 *teucri* HpP_2; **46** 1 *ver egelidos*] *vere gelidos* GD¹LCH *vere tepidos* P_1; **44** 19 *Sesti recepso*] *Sestire* (d *Sistire* D¹ *Sextire* p) *cepso qui* (*si* D) GDLCp *Sentire cesso qui* H *Gestire cepso qui* P_1.

§ 4. Quaedam de corruptelarum in codicibus Catullianis obviarum natura, generibus earumque probabiliter emendandarum ratione.

Ex his ieiunarum disquisitionum tamquam aridis sterilibusque desertis priusquam ad arva et amoeniora et uberiora pergamus, quanam via ingredi nobis in animo sit,

[5]) De hoc codice Fr. Buechelerus Petron. p. XVI ed. maioris disputavit, quae mihi non ad manum fuit.

paucis praemonebo. Etenim quod hodie critici in universum quidem iure consentiunt, nullam coniecturam in Catullo videri probabilem, nisi qua vel singularum literarum codicum fide traditarum religiosissime ratio habeatur, id tamen minime ita accipiendum est, ut totum corruptelarum genus sola similium apicum confusione contineri putandum sit. Namque multo latius patet ita, ut nullae originis mendorum causae nec ipsorum mendorum genera in aliis scriptoribus reperiantur, quin eadem saepissime in Catullo occurrant, literas dico saepissime confusas, additas, omissas, transpositas, substantiva, verba, particulas ad vicina omni modo prave accommodata, interpretamenta, interpolationes, vocabula male dispesta vel male conglutinata, alia, idemque quod de singulis literis, quoad eius fieri potest, valet de syllabis, verbis, versibus, carminibus. Hic exempla congerere longum est, sed infra, ut quaeque opus erunt, adfatim adferam. Quod me facere nimis longa disputatione argumentantem criminabuntur fortasse, qui bonae coniecturae, quippe quae se ipsa tueatur, commendatione ac defensione opus esse negent. Ac profecto opus non est res in vulgus notas decantare; at qui sua inventa oraculorum instar iactant, ei mihi videntur aut adroganter facere, cum sibi ut ab aliis temere fides habeatur postulant, aut parum urbane, cum singulis onus argumentorum conquirendorum inponunt. Ita fit, ut et multum laboris inutiliter inpendatur, et res prorsus contrariae ad libidinem ab aliis in infinitum negentur, ab aliis adfirmentur. Sed suspicor multos consulto breviorem illam rationem praeferre, ne futiles coniecturas argumentorum futilitate coarguant. Quorum exemplum nos non secuti putidae diligentiae crimen ab illis aequo animo feremus.

§ 5. Catulli carmen XXVIIII recensetur.

Iam subiciam Catulli carmen XXVIIII (e Silligii recensione) lectionis varietate instructum. Commodissimum autem mihi visum est primum codicum plene excussorum tum editionum mearum continuas lectiones ita exhibere, ut discrepantes adponerem, concinentes silentio praeterirem, quas vero praeterea sparsas sive editionum in primis antiquarum sive ceterorum codicum in subsidiis meis repperissem, eas ut omnes et variantes et concordantes enotarem. Tota autem haec disputatio nobis tripartita erit; primum dicam de versuum ordine, tum de metro, denique de singulis lectionibus.

1 Quis hoc potest videre, quis potest pati:
Nisi impudicus, et vorax, et aleo,
Mamurram habere, quod Comata Gallia
Habebat uncti, et ultima Britannia?

Inscriptiones: ***In Romulum cathamitum*** (***XXI*** add. D¹) GLCD¹ ***Ad Romulum catamitum*** (***chatlamittam*** H) Hp ***Ad Romulum*** P_1 (?) ***In Julium Caesarem*** d. ***1 Fuis*** D¹ || ***1. 2*** Quinctilianus VIIII 4, 141 laudat non addito Catulli nomine || ***2. 10 inpudicus*** Haupt. Schwab. Qu. I 191 (in ed. ***impudicus***) || ***helluo*** Scal. Graev. Voss. Bipontina; in lemmate Voss. bis exhibet ***aleo*** || ***3 Nam murram*** (***muram*** H) GD¹HP_1P_2Pu p ***Mammuram*** C ***Manumurram*** L ***Mamuram — quid nammurum — contra*** F || cfr. Plin. N. H. XXXVI 6, 48 || ***4 Habeat*** L || ***cum te et*** GLCHP_1P_2Pu Statii libri p ***cun te et*** F ***cam te et*** Dr ***cuncta et*** Cu d ***et cum te*** D¹ || ***brithania*** D ***britania*** Hp || ***cuncta et*** editt. Vic. Brix. Guar. ***cuncta te: et*** Reg. ***et cuncta*** Avantius (testibus Sill. et Schwabio, teste autem Scal. ***cuncta et,*** Graevio ***et cunctae.*** Ceterum Scaliger quae tradit fieri non potest ut recte se habeant, cum lectiones Avantii et codicum, etsi diversas esse dicit, tamen his verbis prorsus eisdem conceptas proponat: ***Habebat cuncta et ultima***) Ald. ***omnis, ultima et*** Muret. ***uncti et*** coni. Faernus, probarunt Douza pater Heinsius Martyni — Laguna ***unctei et*** Schwabius

Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Et ille nunc superbus, et superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbulus Dionius?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es impudicus, et vorax, et aleo.
Eone nomine, Imperator unice,
Fuisti in ultima Occidentis insula,
Ut ista vostra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties?
Quid est alid? sinistra liberalitas
Parum expatravit? an parum helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia

unctum et coni. Scal. rec. Graev. ***uncta et*** Bergk. ind. schol. (1863) p. IV ***ante et*** coni. Statius prob. Spengel p. 98 Lachm. Haupt. Rossb. Schwab. Qu. I 191 Hertzb. || **et ultimae Britanniae** Douza pater Praecid. c. III **Habeat, et habeat ultima Britannia** vel etiam: **Habebat, et quod u. B.** Froehl. nunt. erud. Monac. 1846 n. 132 p. 32 et n. 133 p. 33. || **5 hoc** Heinsius || **videbimus** P_2p || Post **5** in Ald. Gryphiana Mur. Scal. Graev. Doer. Am. repetitus legitur versus decimus. A codd. et editt. Reg. Vic. Brix. Guar. abest || **6 circumfluens** Barthius ad Claud. in IV. cons. Honor. 139 || **7 Perambulavit** $GD^1LCPuFDr$ **Perambulat** P_1 **Superambulavit** H || Sill. in ed. ad **Perambulavit** adscripsit: „non male" || **8 columbus aut ydoneus** GD^1unus Statii codex **columbus aut idoneus** $LCHP_1PuFDrCu$ codd. Statii Maffei p **columbus aut dioneus** d **albus columbus aut .doneus** (rasura) P_2 **Columbus et idoneus** „vel etiam" **aut idoneus** Vossii codd. || Suam lectionem, quam Schwabio teste iam Heinsius Adv. 641 habet. (Doer. teste habet **columbulus Dioneus**) Sill. Ep. crit. p. 60—63 defendit; in notis ed. fluctuat. **columbus an idonens** Avantius **columbus aut Adoneus** coni. Statius et Scal., rec. Graev. Doer. Am. Lachm. Haupt. Rossb. **columbulus Dioneus** Ald. Guar. Mur. Spengel. p. 107 **columbus aut Dionaeus** „in vetustioribus quibusdam" teste Doer. **columbus Aïdoneus** Voss. **columbus aut Dioneus** editt. Reg. Vic. Brix. **columbus haut idoneus** Sill. Jahn. Ann. XIII (1830) 290 Heys. Schwab. (Froehl. incertus haesitat, posueritne Catullus praeter columbum aliam similis naturae avem, an praeter album columbi colorem purpureum, velut Sidonium) || **6. 7. 8** interrogationes esse negat Pleitner. progr. 25 || **9 hoc** Dr Scal. Voss. || **10 Et si impudicus** F „optimus liber" Vossii edd. Reg. Vic. **Est impudicus** Voss. || **11 Inperator** Schwab. Qu. I 204 (in ed. **imperator**) || **13 nostra** $GLCHP_1Pu$ p **vestra** D Avant. Graev. Lachm. Haupt. Rossb. Schwab. Qu. I. 204 (in ed. **vostra**) O Ribbeck. Jahn. Ann. LXXXV 377, **vesca** Sabellicus in Gruteri lamp. I 163, ni potius carmen incuria librariorum e duobus conflatum sit. || **diffutura** GD^1LCHp **diffututa** d **vestra defutata nostra** F | **defututa** (in textu habet **diffututa**, idem Ribbeck. l. l.) Lachm. suspicatur, rec. Haupt. Schwab., inprobat Pleitn. progr. 6 || **14 comeset** G **quam esset** H **commesset** Dr | **comesset** edd. Reg. Vic. Brix. Ald. Guar. **comisset** Scal. Graev. **comessat** Muncker. Mythogr. Lat. II 233 | **triceuties** Dr || **15 alit** $GLCHP_2Pu$ Statii codd. p **Quid est? alit** P_1 **Quid est ait alit** F **ait** D^1 **an** d **Quid est? ait** CuDr Vossii libri | **alit** edd. Vic. Brix. **Quid est? ait** Voss. Doer. **Quid est? an haec s. l.** Avantius Palladius editt. Reg. (e qua tamen excidit **haec**) Ald. Mur. Graev. Bipont. Am. **Quid abstulit** coni. Faernus **Quid est aliud** coni. Guar. **alid,** iam memoratum Avantio, (sive **alit**) coni. Statius prob. Vulpius Ritschelius De declinat. quad. Latina recond. (1861) p. 10 Ribbeck l. l. reliqui, interpunctionem sic variantes: **Quid? est alid, s. l.?** Scal. **Quid est alid s. l.?** Posteriores. (Scal. etiam proposuit: **Quid est, al**) **Quid est, quem alit s. l.?** vel etiam: **Quid est? quem alit s. l. . . . Parum . ., .?** Froehl. l. l. p. 35. | **16 expiravit** Dr || **aut** HPu || **puerum** P_2 **purum** p | **eiluatus** GDP_2p **eluatus** CH **el*l*uatus** (*l* in rasura) L^b, fortasse **elevatus** L^a: num L^1 an L^2 correxerit incertum est; **elevatus** Dr **elevatus e*l*uatus** F || **es** d | **Parum expatravit, he*ll*uatus est parum.** Puccius „e vetere codice", quod probat Spengel. p. 108. **elluatus** Lachm. Haupt. Rossb. Ribbeck. l. l. Schwab. **eluatus** Bergk. | **expatravit** ἐπετέλεσεν glossarium Philoxeni, ἐκχρίνω, ἐπὶ συνουσίας, **expatro** Cyrilli | **17 primum** $GDLCHP_1P_2PuDrp$ editt. antt., in his Mur. et Vossii, quod defendit Froehl. l. l. n. 132. **prima** F coni. Scal. Turneb. Advers. XII 1 Pleitner. progr. 4 Ribbeck. l. l. | ***lanlinata*** Ga | **18** ***tercia*** GH || **19** ***hibera*** D in versu praecedenti

Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc, Galliae, timetis et Britanniae?
Quid hunc, malum, fovetis? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, Imperator unice,
Socer generque perdidistis omnia?

extremo add. | **Quae** d **quae** P_1 Dr **quem** Pu **qua** Cu || ***sit*** $GD^1LCHP_1P_2p$ **se** Cu || **amni** GD^1HP_1 **anni** C || ***thagus*** G || **Ibera** Graev. | ***quam*** (***quem*** Ald.) ***scit*** editt. Reg. Vic. Brix. Ald. Guar.; Scal. coni. ***quas et,*** Marcilius „ex M. S. vestigiis" ***quam auxit,*** Passeratius ***quam cit,*** Bergk. l. l. ***Hibera. Quem scit a. a. T.,*** || **20** ***Hinc*** H | ***timet et*** GD^1CHP_1p ***timet … et*** M Statii codd. ***timent et*** $LdGu_2$ ***timet terra et*** $dPuP_2Fp$ ***timet tellus et*** CuDr || ***brithaniae*** D^1Hp | ***timent et*** ed. Reg. ***timet terra et*** editt. Vic. Brix. ***timent, timent*** coni. Avant. Ald. Guar. Mur. Graev. Voss.; Scal., qui in edit. a. 1582 luserat: ***quas et amnis a. T. Inundat, extimae ecce Lusitaniae.,*** a. 1600 versum ἀθέτησεν, adstipulantibus Barthio Adv. XXXI 2 p. 1422, Ph. Wagnero Jahn. Ann. XIII 279, ***Nunc G. timent, timent Br.*** Puccius et Perreius, quam eandem lectionem e Vossiana et Ribbeckiana concoxit Kochius Symbol. 316. ***Timentque Galliae hunc, timet Britannia*** (***timent Britanniae*** testibus Graevio et Doer.) Turneb. Adv. XII 1 ***Timetque Gallia hunc, timent Britanniae*** Douza pater praecid. c. III. Silligii lectio, Statio probata, Faerno debetur. ***Et huncce Galliae et timent Br.,*** (sed, si spondeus ferri possit, Aldinam lectionem praeferens) Spengel. p. 114 Munro Diar. class. philol. IIII (1859) 289 ***Time Britannia, hunc timete Galliae*** Lachm. dubitanter in adnotatione, in textu exhibet lectionem codicis D^1; ***Timete Galliae, hunc time Britannia*** Haupt. Qu. 19 ***Timete, Galliae, hinc, time Britannia*** Hermann. in Jahn. Ann. XXII 305 ***Nunc*** („an ***Hinc?***" Schwab. in ed.) ***Galliae timetur et Britanniae*** coni. Froehl. l. l. p. 30 et Schwabius Qu. I 202, non plane dissentiente viro quodam docto (Rudolpho Dietschio, nisi fallor) in Jahn. Ann. LX 329 ***Nunc Galliae voretur et Britanniae?*** Pleitner. progr. 3 ***Eunce Galliae et timent Br.*** Heysius ***Hunc Gallia extimescit et Britannia*** Froehner. Philol. XIIII 583 ***Nunc Galliae tenentur et Britanniae*** O Ribbeck l. l. ***Hunc, hunc timete Galliae et Britanniae*** Hertzb. ***Et uncta Gallia ultima et Britannia*** Bergk. l. l. | **21** ***hunc***] ***hoc*** Dr „Aliter. ***Quid hoc malum f.?*** et forte concinnius" Voss. | ***malum*** virgulis aut uncis non incluserunt Voss. Lachm. Haupt. Rossb. Schwab. Ribbeck. Hertzberg. **(malum)** Bergk. | ***hic***] dp ***hinc*** GD^1LCH || **22** ***Ni nisi*** F || ***cuncta*** L ***una*** Pu | **23** ***imperator unice***] coni. Scal. (idem: **Eone nomine urbis . . . .** not. ad Verg. Catal. p. 430 Burm.) ***urbis*** $GLCHbP_1P_2FDr$ ***urbes*** Pu p ***verbis*** DHa | ***opulentissime*** GDHp **oppulentissimae** LCP_1 (sic teste Schwabio; sed cum e Lachm. silentio L habeat **opulentissime,** Silligio teste P_1 **opulentissimae,** errorem subesse suspicatus sim.) **opulentissimae** PuP_2F **opulentia** Dr | **urbis opulentissimae (opulentissime? Voss.)** editt. Reg. Vic. Brix. Ald. Guar. Mur. Voss. **urbis oblitissimae** Douza pater Praecid. c. VII **urbis integerrimae** Sill. Jahn. Ann. XIII 279 Versum subditicium esse suspicatur Spengel. p. 114 **urbis, o piissime** suspicatur Lachm. **orbis, o piissimi** (sic in ed.) vel: **orbis, o piissimei** (hoc probant Schwab. Qu. I 204 et in ed. O Ribbeck. l. l.) coni. Haupt. Qu. 12. 20 (horum utrum probet L. Mueller De r. m. 385 Catullum **29** 23 **piissimum** dixisse scribens mihi non liquet.) **orbis abditissima** Hermann. l. l. **urbis opulentissimi** Froehl. l. l. p. 31 **urbis inclitissimei** Pleitner. progr. p. 6, Epithal. p. 23 **urbis, opulentissime** Lachm. (in textu) Rossb. **urbis oppidissime** Heys. || Mommsen. Hist. Rom. III 318 (ed. III) post v. 10 transposuit v. 21—24, Ribbeckius l. l. v. 21. 22 post v. 15, v. 23. 24 post v. 12, Schwabius Qu. I 192 v. 23. 24 post v. 10 || Inter v. **23** et **24** unum versum excidisse putat Hertzberg. || **24** **Gener socerque perdidistis omnia** Catal. Vergil. 3, 6 = Meyer. Anthol. 103, 6 = Burm. II 244.

I.

Hoc capite, quod est de versuum ordine, ut brevissime defungi possimus, Schwabii (Qu. I 192) argumentatio ad probandum firmissima otium nobis fecit. Cuius rationes potissimas ut paucis complectar, dicit, cum v. 13 pluraliter *vestra*, v. 21 *fovetis* scriptum sit, quibus verbis Caesarem et Pompeium Catullus adloquatur, v. autem 18 praeda Pontica commemoretur, quam Hauptius (Qu. 18) Pompei praedam e bello Mithridatico reportatam intellegendam esse recte docuerit, Pompeium necesse esse

perinde atque Caesarem in prioribus iam carminis versibus, et quidem ante v. 13, nominatum esse statuamus. Quodsi Mommseno adstipularemur, voce *foretis* oratio converteretur iam ad Pompeium et Caesarem, Pompeio ne verbo quidem antea designato. Quo vitio etsi caret Ribbeckiana dispositio, tamen ne hac quidem quomodo versuum ordo turbatus sit perspicitur. Quod cedit egregie, si Schwabio adsentiris. Etenim v. 10 exarato cum scribendus esset qui versus nunc 23 est a verbis incipiens *Eone nomine,* oculi scribae ad eum, qui ab hoc tertius erat, ab eisdem verbis incipientem aberrarunt. Post errore animadverso in extremo carmine versus duos omissos addidit, nota quadam suo eis loco adsignato. Eiusmodi autem errores in codd. Catullianis saepe commissi sunt; cfr. **34** 3 **64** 23b **61** 95. **92** 3.4. **39** 4.5. **84** 3. 4 alii. Quod praeterea Ribbeckius v. 21. 22. post v. 15 conlocavit, non moror eius rei nullam videns idoneam causam. Ceterum nec Mommsenus nec Ribbeckius transpositionum suarum ullas rationes attulerunt.

II.

Paulo maioribus difficultatibus quaestionem intricatam esse video, purisne iambis conscripserit Catullus carmen 29, an in sedibus inparibus etiam spondeos admiserit. Qua in re virorum doctorum sententiae in contrarias partes discesserunt; atque ab iamborum puritate stant Scal. Sill. Lachm. Haupt. G. Hermannus (Jahn. Ann. XXII 305) L. Mueller. (Jahn. Ann. LXXXV 728) Bergk. (Ind. p. III) alii; contra Voss. Froehlich. Schwabius (hic quidem cum animi dubii significatione Qu. I 199) Kochius alii patrocinantur spondeis. Rem denuo in disceptationem vocemus non negantes tantum vel adfirmantes, sed argumentantes. Itaque cum iambis conscripta haec tria Catulli carmina hodie extent: **4, 29, 52.**[6]) horum quidem quod loco posui primo versuum 27 totum omnium consensu integris iambis constat, quod ultimo versiculorum 4 admixtos habet v. 2. 3 spondeos, v. 1 (v. 4 est v. 1 repetitus) item mere iambicus est, nostrum denique carmen 29 versuum 24 exceptis his quattuor: v. 3. 17. 20. 23, quibus purorum iamborum legem migratam esse nonnulli contendunt, eodem puro metro decurrere consentiunt. At quis, quaeso, 144 pedum 140 iambos esse, 4 non esse vel primo aspectu probabile esse sibi persuaserit, praesertim si, quantopere argumento carminis satirico celerum tamquam telorum impetu inimicos petenti meri iambi conveniant, porro eundem, si vis, lusum Catullo in carm. 4 placuisse, si, inquam, haec secum reputaverit? Sed opus nobis non est obsecrationibus rhetoricis adversarios tamquam ad misericordiam inflectere; suis dico rem rationibus profligari. Nam v. 20 et 23 aliis quoque de causis misere corruptos iacere nemodum negavit, certe nemo fere intemptatos dimisit, ne Froehlichius quidem, quamquam hic v. 23 lenissima (sed eadem futilissima) adhibita medicina. Nonne ergo sole est clarius una cum reliquis metricas quoque invectas esse corruptiones? V. autem 17 singulari documento est ad quantam iudicii perversitatem homines procedere possint obloquendi studio occaecati. Dicit enim Froehlichius quod ibi legatur *primum* nihil nimirum offensionis

[6]) Quod olim inter Catulliana sine codicum auctoritate legebatur carmen 20 versuum 21 et ipsum puris iambis compositum (= Burmann. Anthol. VI 85. Meyer. 1698), nunc a Buechelero etiam e Priapeis exulans, quamquam haud scio an Catullum habeat auctorem, hic tamen ut incertae originis mitto.

habere, nisi quod spondeum efficiat; hanc unam ob causam nonnullos scripsisse *prima;* omnes enim codices *primum* habere videri, neque si Catullus *prima* scripsisset, librarios hoc vocabulum proximarum vocum terminationibus adeo congruum mutaturos fuisse. Non flocci facio quod in F legitur *prima;* ac profecto in V fuit *primum;* tum autem error unus est, nec tam loquendum de librariis, quam de librario. Sed ob id ipsum, quod v. 18 adiectiva leguntur *secunda* , *tertia* ratione plane eadem, ut *prima* restituatur aequabilitatis ratio flagitat. Neque causa depravationis latet; est particula *inde* (v. 18) in enumerationibus sescentiens post *primum* legi solita. Idem mendum est, quamquam alia causa ortum, **113** 4 *singula* | *Singulum* GD'LCH; ceterum de ***m*** litera a librariis temere saepe aut addita aut detracta cfr. Madvig. Emendatt. Liv. p. 8 sq. 256 sq. Restat ergo v. 3 *Mamurram* quod nomen quamquam ab Horatio Serm. I 5, 37 et a Martiale VIIII 59, 1 X 4, 11 prima producta syllaba usurpatur, eam nihilo setius a Catullo corripi recte dictum est a Lachm. ad Lucret. 36 idque fieri posse multis exemplis comprobatum; quem quo iure non recte iudicasse Schwabius Qu. I 201 simpliciter adfirmet, non capio; cfr. L. Mueller. De re metr. p. 352. Atque quandoquidem syllabarum quantitatem haud raro necessitate versus [7]) in nominibus praecipue sive propriis sive rarioribus vel eis locis inversam invenimus, quibus pro ratione metri aut longam aut brevem poni necesse erat, haec res eo minus offensionis habebit eo loco, quo, nisi poeta totum carmen puris iambis constare voluisset, sedem spondeus haberet vicariam illam quidem, sed tamen plane legitimam. Sed etiamsi efficeret *Mamurram* v. 3 spondeum, num daretur exemplo nominis proprii, quod a natura sua optime excusari Schwabius concedit (cfr. Haupt. Qu. 18), licentia spondei etiam aliis versibus ea excusatione destitutis inferendi?

III.

Venimus tandem aliquando ad ipsa carminis verba recensenda. Ac titulos quidem iam in V fuisse, eorum in codd. sinceris consensu docemur, in quibus tamen saepe etiam desunt; deberi autem ei ipsi, qui codicem V scripserit, demonstravit Schwabius De codd. 15, praef. XVIIII. Non praepositos fuisse ab ipso Catullo, tam forma eorum saepe barbara et inepta, quam congruentia nominum tum in carminibus ipsis tum in titulis eodem modo corruptorum ostenditur. Velut carminis 36 inscriptionem ineptam hance: *Ad Lusicacatam* apertum est oriri demum potuisse post v. 1: *Annales Volusi, cacata charta,* sic in libris pessime seiunctum: *Annuale* (*Anuale* H) *suo lusi cacata* (*lusicacata* LC *lusicata* D' *lusi tacata* H) GLCpD'H. Quod autem se Boehmius Qu. 4 neminem praeter Cic. Phil. II 31, 77 nosse ait, qui hominem effeminatum vel pathicum Catamitum (cfr. gloss. Labbaei p. 27b *catamithus* πόρνος) dixerit, hoc Ciceronis exemplum neque unum est (cfr. Klotz. Lex. Lat. s. v.), et, si esset, sufficeret, modo per se titulus ille carmini nostro conveniret. At nequaquam convenit, cum summa carminis in re longe alia atque in Caesaris incusanda inpudicitia versetur. Cfr. sis praeterea

[7]) Uno exemplo rem notissimam inlustrabo; habet Catull. **1** 5 Ītalorum, Vergil. Aen. I 109 Ĭtali, III 185 Ītala, Lucret. I 119 Ĭtalas.

Leutsch. Gött. gel. Anz. 1855 p. 1982, Froehner. Phil. XIIII 574, Bergk. Mus. Rhen. nov. XV 512.

2 In Pauly. Real-Enc. s. v. *Mamurra* Catullus falso dicitur Mamurram aleonem describere. Atque errore consimili Schwabius Qu. I 198 totum carmen in Mamurram dedita opera Catullum scripisse, Caesarem autem et Pompeium in transitu tantum attigisse dixit. Cuius sententiae prorsus contraria vera est. Nam cum Mamurram Catullus numquam adloquatur, sed tantum Caesarem et Pompeium, in hos aperta convitia dirigit, contra ea illum quamquam non minus acerbe, quasi per fenestram tantum tangit. Ceterum toto v. 2 pluribus verbis una notio exponitur „hominis nequissimi“ [8]); nam etsi Caesarem pronum et sumptuosum in libidines fuisse constat (cfr. Drumann. Hist. Rom. III. 740, Sueton. Iul. 49 sq.), tamen vorax fuisse iure dici non potest [9]), aleatorem autem eum fuisse ne verbo quidem commemoratum invenimus; cfr. Drumann l. l. 738 sq., Pauly. l. l. p. 482. Quare Catullus hic quoque ira nimia, quod saepius illi accidisse Schwabius Qu. I 183 recte monuit, extra iustos fines abreptus esse existimandus erit. Ceterum *heluo* prae *aleo* ferri nequit vel notione simillima vocis *vorax*.

3 Plinii l. l. verba haec sunt: „Primum Romae parietes crusta marmoris operuisse totos domus suae in Caelio monte Cornelius Nepos tradit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, praefectum fabrum C. Caesaris in Gallia, ne quid indignitati desit, tali auctore inventa re; hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius quam Catullus dixit habere „quidquid habuisset Comata Gallia.“ Namque adicit idem Nepos primum totis aedibus nullam nisi e marmore columnam habuisse, et omnis solidas e Carystio aut Lunensi.“ Ad eandem rem Cicero cum ironia spectat ad Att. VII. 7, 6: „et Labieni divitiae et Mamurrae placent et Balbi horti et Tusculanum,“ conl. De off. I 14, 43: „Sunt autem multi, et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur.“

4 In V fuit *Habebat cum te et.* Recte Bergkius dicit Statii *ante* prorsus otiosum esse; sed ipsius *uncta* pro more Catulliano vix satis simpliciter conlocatum est habetque ad *Comata Gallia,* etsi haec una paene notio est, relatum nescio quid inconcinni, cum Britannia simpliciter *ultima* dicatur, Gallia autem duobus adiectivis additis *Comata uncta.* · Sed quod gravius est, in omnibus praeter Faerni unice probandam coniecturam v. 3 *quod* singulariter enuntiatum ferri nequit. Expectaveris potius *quae;* nam non unum quoddam, sed permulta habere Mamurram manifestum est. Eamque ipsam sententiam recuperamus, si Faerni *quod uncti,* pro quo haud

---

[8]) Illa verba, quae v. 2 leguntur, et similia convitiandi causa saepe coniungi docent exempla a Forcellinio in Lex. s. v. alea collecta, quorum unum adscribam Cic. Phil. XIII 11, 24: „In lustris, popinis, alea, vino tempus aetatis omne consumpsisses, ut faciebas, cum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeres.“ Sciendum autem apud Romanos aleae ludum legibus interdictum fuisse; cfr. Becker. Gallus III 252 sq.

[9]) Sueton. Iul. 53: „Vini parcissimum ne inimici quidem negaverunt. Marci Catonis est, unum ex omnibus Caesarem ad evertendam rem publicam sobrium accessisse. Nam circa victum Gaius Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum pro viridi adpositum, aspernantibus ceteris, solum etiam largius adpetisse scribat, ne hospitem aut neglegentiae aut rusticitatis videretur arguere.“ Cfr. Plut. Caes. 17.

scio an accuratius etiam Schwabius legat *unctei,* amplectimur; nam hoc idem est, quod Plinius l. s. l. dixit *quidquid* i. e. omnia, quae alicuius pretii erant (cfr. v. 22 *uncta patrimonia*), vel Licinius Calvus apud Sueton. Iul. 49: „Bithynia quicquid Et paedicator Caesaris umquam habuit.“ Rarior quidem structura, qua et ipsa iuta est origo depravationis, inlustratur Cic. De off. I 38, 137: „Illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio“; cfr. Reisig. Vorles. üb. lat. Sprachw. p. 643. Iam ut singularum literarum corruptiones exemplis e GDLCH sumptis conlustremus, ***c*** litera in *cum te* orta est geminata litera finali simillima verbi ***Habebat,*** ut **63** 53 *Ut aput*] *Ut caput,* similiter **53** 1 *e corona*] *et corona,* porro infra v. 22 *uncta*] *cuncta* L; ***m*** = ***nc*** habes **55** 17 *Num*] *Nunc,* ***e*** = ***i*** **66** 1 *dispexit*] *despexit,* 41 *adiurarit*] *adiuraret,* ni potius, id quod mihi adridet, ***ei*** in ***e*** mutatum esse censebis, ut **55** 12 *heic*] *hec* GP_1 *haec* LCHdp *hic* D', **68** 65 *imploratei*] *implorate.* **16** 12 *quei*] *que* GD'H *qui* LCdp *quod* LrDr, **66** 74 *verei*] *vere* GLC^bHp; **22** 6 *novei*] *nove* GLC *novem* D'Hp.

7 ***b*** et ***v*** (similiter ***c*** et ***g***, ***d*** et ***t***) confusorum exempla in veterum scriptorum codicibus saepe obvia, qualia sunt: **5** 11 *Conturbabimus*] *Conturbavimus* GDLCHP, Dr, **11** 2 *penetrabit*] *penetravit* omnes, **63** 81 *verbera*] *verum vera* explicanda sunt pronuntiatione modo molliore modo duriore posterioribus temporibus obtinente; cfr. Keil. Gram. Lat. Vol. IV p. XIV, Forcellin. Lex. s. lit. B, Corssen. Ueber Aussprache cet. I 61 sq.

8 In V fuit *Ut albulus columbus aut ydoneus,* unde prolatas adhuc coniecturas non multum morabor; nam nullo pacto sufficiunt. Doeringius: „*Albulus,* inquit, *columbus* est pulcher, qui placet ob colorem, ut *Adonis* [Adoneus = Adonis] ob externam formae speciem placebat.“ Subtilis distinctio est atque adeo vix ulla, in qua, ut iam Vossius vidit, certe disiunctiva particula *aut* omnino intempestiva est. *Dionaeus* metro respuitur, *Dioneus* et *Dionius* ne vocabula quidem sunt. Silligii autem *haud idoneus* nec in columbum quadrat nec in Mamurram nec, id quod ipse voluit, in Caesarem; nam ridicule nec sententiarum conexui convenienter Catullus talia opprobraret; quid enim ab ista tali perambulatione timendum fuit? Sed ut lectorem ipsum ad inveniendum id, quod poetam scripsisse mihi quidem persuasum est, sensim deducam, primum quaerendum est, quanam de causa Catullus Mamurram cum albulo columbo comparet. Num, quod quis suspicatus sit, propter morum impudicitiam? Minime. Nam etsi Catullus ipse **68** 125 columbae amorem describit summum, et Plin. N. H. X 34, 52 et X 36 columbas salaces nominat, tamen idem Plinius Aristotelem [10]) secutus castitatem earum priore loco hisce praedicat: „Pudicitia illis prima et neutri nota adulteria; coniugi fidem non violant communemque servant domum; nisi caelebs aut vidua nidum non relinquit,“ et Propertius II 15, 27: „Exemplo iunctae tibi sint in amore columbae Masculus et totum femina coniugium.“

---

[10]) Aristoteles Hist. An. VIIII 7 p. 612b 31 ed. I. Bekker: *Οὔτε γὰρ συνδυάζεσθαι θέλουσι πλείοσιν, οὔτε προαπολείπουσι τὴν κοινωνίαν, πλὴν ἐὰν χῆρος ἢ χήρα γένηται,* cuius partim ipsa verba exhibet Athenaeus Deipn. VIIII 50: *Οὐκ ἀπολείπουσι δ᾽ ἕως θανάτου οὔτε οἱ ἄῤῥενες τὰς θηλείας, οὔτε αἱ θήλειαι τοὺς ἄῤῥενας, ἀλλὰ καὶ τελευτήσαντος χηρεύει ὁ ὑπολειπόμενος.*

Vides igitur comparationem illam ad libidinem referri non posse; sed quo referenda sit, haud scio an perspecturus sis lectis, quae iam alia adferam, veterum scriptorum testimoniis. Tibullus I 8 (7 Haupt.), 17: „Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes Alba Palaestino sancta columba Syro?" Hygin. Fab. 197 (p. 46 ed. Basil. per Joannem Heruagium 1549): „In Euphratem flumen de cœlo ouum mira magni-
quod tudine ceridisse dicitur, † quem pisces ad ripam euoluerunt: super quod columbæ consederunt, & excalfactum exclusisse, Venerem quæ postea dea Syria est appellata, & iustitia & probitate cũ cæteros exuperasset, & ab Ioue optione data * pisces in astrorum numerum relati sunt: & ob Id Syri pisces & columbas ex deorum numero habent, non edunt." Diodorus II 4, 3 postquam narravit Semiramidem infantem expositam a columbis nutritam et servatam esse, sic pergit 4, 6: *ἃς ἀπ' ἐκείνων τῶν χρόνων οἱ κατὰ Συρίαν ἅπαντες διετέλεσαν ὡς θεὰς τιμῶντες.* Idem II 20, 2: *Ἔνιοι δὲ μυθολογοῦντές φασιν αὐτὴν γενέσθαι περιστεράν, καὶ πολλῶν ὀρνέων εἰς τὴν οἰκίαν καταπετασθέντων μετ' ἐκείνων ἐκπετασθῆναι. διὸ καὶ τοὺς Ἀσσυρίους τὴν περιστερὰν τιμᾶν ὡς θεόν, ἀπαθανατίζοντας τὴν Σεμίραμιν.* Hae etsi fabulae sunt (nam ob fecunditatem potius columbas Veneri pro huius deae natura ac vi sacras fuisse patet), tamen unum ex eis discimus, columbis divinum honorem a Syris sive Assyriis [11]) habitum esse. Quid quod in hac Assyriorum religione tertium comparationis, quod dicere consuevimus, verti existimo? Nam ut columbae, quippe quae Veneri sacrae essent, Assyriis sanctae atque intactae per urbes volitabant, sic ne Mamurra Caesare patrono tutus omnium cubilia perambulaturus esset Catullus timebat. Quod ut credam adducor etiam addito vocabulo *omnium* (v. 7). Ad quam sententiam exprimendam poeta eo aptius columbi imagine usus est, quod his avibus „inest quidam et gloriae intellectus; nosse credas suos colores varietatemque dispositam cet." (verba sunt Plinii l. l. X 36). Nam de splendore externo et superbia (cfr. v. 6 *superbus et superfluens*) cogitandum esse intellexit etiam Doeringius, quamquam in ceteris errans sibique repugnans. Catullum igitur mihi persuasum est scripsisse:

Ut albulus columbus Assyri domos.

Quod *Assyri* scripsi, non *Assyrii*, feci morigeratus usui Catulli, apud quem genetivus substantivorum in *ius* vel *ium* exeuntium ubique in ***i*** desinit, nusquam in ***ii***. En exempla habes omnia: **19** 6 *tuguri* [12]), **26** 2. **64** 282 *Favoni*, **36** 1. 20. **95** 7 *Volusi*, **39** 4 *fili*, 21 *loti*, **44** 19 *Sesti*. **59** 2 *Meneni*. **63** 64 *gymnasi*, **64** 49 *conchyli*, 278 *Peli*, **67** 35 *Corněli*. **68** 50 *Alli* [13]), **90** 1

[11]) Assyriam, Syriam, Palaestinam, Mediam, Arabiam, Indiam, alias saepe sensu latiore pro regionibus orientalibus in universum poetae dicunt, vel etiam aliam pro alia ponunt, ut ipse Catullus **66** 12 Assyrios pro Syrios dixit; cfr. Vergil. Ge. II 465, Ecl. IIII 25 et ad eos locos Forbigerum, Lucan. VIII 292, Ovid. Fast. II 464. Herodot. VII 63: *οὗτοι δὲ* [scil. *οἱ Ἀσσύριοι*] *ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων ἐκαλέοντο Σύριοι, ὑπὸ δὲ τῶν βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν*, Pauly. Real-Enc. s. v. Assyria. Forcellin. Lex. s. v. Assyrius.

[12]) Carmen 19 sive Catulli est sive non est, certe non facit contra nos. Equidem omittere nolui respiciens ad Terent. Maur. v. 2754, ubi laudatis Catulli versibus: Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape, cet. (Catull. carm. **18** = frg. II edd. Lachm. et Rossb. frg. I ed. Schwab. = Burm. Anth. VI 87 = Meyer. 1700) haec addit: „Et ***similes plures*** sic conscripsisse Catullum Scimus."

[13]) Alii legunt Manli; ego neutrum probo; sed nunc longum est de ea re explicatius disserere.

Gelli [14]). Verum ita scribendi dico mihi non tam datam fuisse licentiam, quam iniunctam necessitatem. Satis enim demirari hodieque esse non possum, qui praeceptum illud Bentleianum (ad Terent. Andr. II 1, 20 coll. III 2, 38), sub Augusti demum senescentis aetate eiusmodi genetivos ***i*** duplici terminari coeptos esse, sescentiens observatum, bis terve neglectum esse sibi persuaserint. Sed rem planissimam cum non in animo sit penitus retractare, satis habebo hic pauca quaedam ad eam inlustrandam attulisse. Et Aemilius quidem Huebnerus in indicis grammatici, quem ad Mommseni „Inscr. Lat. ant. ad C. Caesaris mortem" confecit, pag. 603 col. 1 composuit genetivi nominum in ***ius*** vel ***ium*** exeuntium praeter nomina propria, quae sic ubique declinari dicit, haec exempla: *aedifici, benifici, conlegei, consili. cultrari, feili, municipei, portori.* Horum autem exemplorum cur Huebnerus p. 607 col. 2 *conlegei* et *municipei* eis adnumeraverit, in quibus ***ei*** pro ***ii*** legitur, eius rei non patet mihi alia causa, ***ei*** pro ***i*** saepissime scriptum esse reputanti (cfr. *Alexandrei. cogendei, leiberei, damnei* cet. p. 603 sq. [15]), nisi quod p. 600 se quas commutatas dicat literas scire plerumque origine extitisse praemonuit; nam ipsum *conlegi* extat n. **563** et **1107**, *municipi* n. **206**, 149 152 154 159, contra *conlegii, municipii* similiaque ante Augustum sic plene scripta nusquam. Praeterea inveni *iudici* (n. **200**, 35). Legitur quidem in lege parieti faciundo a. u. c. 649 *ostiei* (n. **577**, 1, 10); sed „titulum hunc quamquam constat antiquum esse, tamen cum litterarum forma tum paginarum divisio demonstrat incisum esse non septimo urbis saeculo, sed aetate imperatoria" (verba sunt Mommseni p. 164); quare illam formam neglegentiae lapidarii legem restituentis tribuerim, quem in suo exemplari invenisse suspicatus sim *ostei* i. e. *osti*. Itemque cum Mommseno dicendum erit, eum, qui **571**, 6 legitur substantivi *pagus* genetivus *pageici* pro *pagei* (quod ipsum legitur **573**, 5), errore incisum videri. Non magis hic ratio habenda est elogiorum saeculi fere Augusti, quorum XXVI p. 286 (= Orell. 538) praebet *Appii Claudii*, XXVII p. 287 (= Orell. 540 = Henzen. III p. 52) *auspicii*. Haec monumentorum auctoritas usu poetarum confirmatur. Atque poetas antiquiores aeque ac Vergilium, Horatium, Tibullum ubique ***i*** simplex habere, Propertium demum bis terve (e. g. cfr. I 6, 34 *imperii*). Ovidium et posteriores

[14]) Consulto omisi **54** 2 locum miserrime corruptum, ubi nonnulli Heri vel Vetti legunt, et **108** 1, ubi Comini vocativus est; probandum enim Statii: Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus, non quod vulgo legitur: Si Comini arbitrio populari cana senectus. Codices praebent: populari arbitrio tua $GLCHP_1MGu_1$ Statii codices arbitrio populari tua (tua om. e Silligii silentio $P_2PuDrRedpVossii$ „libri veteres") $Gu_2P_2PuDrRedpVossii$ „libri veteres" arbitrio . . . tua D^1 populi arbitrio tua (in marg. arbitrio populari cana) F Si populari arbitrio hominum tua d in marg. „Ex manuscripta lectione cognoscimus popul' arbitrio in Gallicano exemplari scriptum fuisse. pro quo in nostris libris exaratum fuit sic homini populari arbitrio" Scal. De origine corruptelae mihi sic videtur: Pro populi arbitrio primum errore oculorum per dittographiam quandam exaratum est popul***ari ar***bitrio (cfr. **64** 307 undique vestis] undique questus GLCH); iam laeso metro subventum est aut certe subvenire temptatum tripliciter, aliis tua omittentibus, aliis verba populari arbitrio inter se transponentibus, aliis denique utrumque facientibus. Catullus autem in eis, quae magno aut amore amicitiaque aut odio iraque incensus scripsit, statim primo carmine, ut est consentaneum, vocativum ponere solet; a qua eum consuetudine, si contrariorum exemplorum multitudinem respexeris, recedere iure dixeris vel numquam vel rarissime.

[15]) Cfr. Steiner. Inscript. Germ. prim. et Germ. sec. (1851) II p. 405, Mus. Rhen. nov. VIII 479, Mommsen. Röm. Münzw. p. 469. Corssen. Ueber Aussprache etc. I. 222 sq.

saepe duplex, Ferd. Schultzius et Zumptius docent in Gramm. Latt. Et Ritschelius Prol. Trin. LXXXIX haec scripsit: „Et in ***ii*** quidem terminatos genitivos ut *ingenii* nihil quicquam praesidii habere tantum tironum caussa moneo, quanquam video etiam provectiores aetate tirones esse," (cfr. eiusdem De declin. quad. Lat. recond. Bonn. 1861 p. 17) et Luc. Mueller. De re metr. p. 377: „notumst genetiuos nominum in ius vel ium finientium contrahi solere ante Propertium." Lachmannus vero duorum exemplorum Lucretianorum, quae contra erant, unum (V 1006) eiecit, alterum (VI 743) emendavit. Plura cognoscere cupientem relego ad Corssen. Ueber Aussprache cet. II 162, Sillig. Catull. ***36***, Reisig. Vorles. üb. lat. Sprachw. p. 74, Forbiger. Vergil. Aen. VIIII 151, Petermann. De genetiv. in ius et ium cet. progr. Gross-Glogau 1863 (p. 13 quattuor omnino exempla, singula Ennii et Terentii, duo Vergilii tueri studet; Catulli usum neglexit). Quod cum ita sit, vel hac de causa dubitandum non est, quin Boehmius p. 39 Catull. ***110*** 7 falsa coniectura scribere voluerit: *Fraudando est vitii*; inque eundem errorem post Ramshornium Gram. Lat. § 115 E (p. 198 ed. I a. 1824) inductos esse patet Raph. Kuehnerum Gram. Lat. ampl. § 111, 1 not. 1 (p. 183 ed. V) et Hudemannum in Klotz. Lex. s. ***o*** Catull. **9** 5 *o mihi nuntii beati* esse genetivum opinatos. Et Ramshornii quidem sententiam, quamquam alia causa motus, iam inpugnavit Handius Tursell. IIII 353, saepe in veteribus libris nominativum et accusativum commutatos esse dicens, veluti apud Cic. Phil. II 7, 16,[16]) ubi vd. Garaton. et Ernest.; cfr. Kuehner l. l. § 112 not. 12. Itaque cum *nuntii* nominandi casu offensione vacet, considerandum est, nonne pluralis numeri ratio eadem esse existimanda sit. Mihi ita videtur. Etsi enim non is sum, qui poetas singularem et pluralem suo arbitratu promiscue usurpare putem, tamen non ignoro eosdem saepe reconditiore sententiae diversitate ductos in eo genere diversam a prosae orationis scriptoribus rationem sequi interpreti utique singulis locis indagandam, cuius muneris subtilia quaedam specimina dedit Wagner. Quaest. Virgil. p. 408 sq. Catullus igitur se fingit non unum nuntium accepisse, sed plures: primum Veranium venisse domum i. e. ex itinere omnino revertisse, tum ad fratres unanimos venisse piamque [17]) matrem i. e. invenisse domi fratres matremque aeque concordes suique amantes atque reliquerat, vel ab his, ut fratrem filiumque par est, peramanter esse acceptum. Gaudet ergo Catullus non una re, sed pluribus. Similiter **63** 75 *nova nuntia* pluraliter dictum est de uno Attidis luctu ad plures res pertinente.

De *domos* vocabuli et forma et vi paucis absolvam. Ideo autem non scripsi *domus*, quod etiam artius ad codicum vestigia accederet, quia Catullum alteram formam praetulisse docere videntur **64** 36. 384, ubi codd. sine ulla discrepantia praebent *domos*. Significatur autem hoc vocabulo non solum proprie locus ad habitandum, aedes, domicilium, sed etiam quaecumque sedes, habitaculum, patria. Sic Vergil. G. II 115 *Eoasque domos Arabum* pro *Eoosque Arabes* dixit; cfr. Forcell. et Klotz. Lex. s. v. domus. Latiorem significationem ut nostro loco admittendam arbitrer, praecipue Tibullianum illud *per urbes* me movet, quamquam proprio sensu quominus accipiatur nihil obstat.

[16]) Cic. l. l.: „O miser, sive illa tibi nota non sunt: nihil enim boni nosti: sive sunt, qui apud tales viros tam inpudenter loquare!"

[17]) Sic legendum esse alias demonstrabo.

Relicum est, ut coniecturae meae singulas literas cum archetypi lectione satis congruere ostendam. Cuius lectionis *aut ydoneus* monstrum ut defugerent librarii, sententiam quidem nihil curantes, at saltem vocabulum efficientes Latinum, interpolarunt *aut* vel *et idoneus*. In his autem laciniis fortasse latere columborum epitheton geographicum recti quiddam praesagientes Sill. et Froehl. suspicati sunt. Nam nullae ineptiae tam ineptae sunt, quin saepe e nominibus propriis in codd. Catullianis procusae sint. Multa exempla colligere cum taedeat, duo adferam vocabuli cognati, quorum prius huc egregie quadrat: **66** 78 *Unguenti Syrii*] *Unguentis una* (d *vini* D [1]) GLCHDp, ubi verum, probatum Hauptio et Schwabio [*surii*], felicissimo acumine Passeratius restituit, alterum est **6** 8 *ac Syrio*] *asirio* G *asyrio* L *a syrio* CHLr *assyrio* RcP, P, Pu Fp *assyrioque* D' *assyriae* d. Sed ut iam singulos apices expediam, vix est quod *domos* e *doneus* elicitum pluribus defendam; nam ***m*** = ***in*** = ***ni*** = ***nc*** similiaque frequentia sunt, ut **25** 12 *minuta*] *inimica* GD'LCp (cfr. Schwab. De codd. p. 16, praef. XXIII); ***u*** pro ***o*** scriptum excusationem habet et duplici huius accusativi forma et aliis exemplis velut **56** 5 *pupulum*] *populum* GD'LCHp; ***66*** 28 *fortius ausit*] *fortior aut sit* GDLCp, 93 *corruerint*] *cur iterent* GDLCHp. Reliqua elementa *aut y* apicum numero accurate respondent voci *Assyri*. ***s*** corrupti haec exempla sunto: ***72*** 6 *mi tamen es*] *ita me nec* GDLH[b] *me ita nec* C *ita me nec huic* H[a]; ***77*** 6 *pestis*] *pectus* GD'LCHp; ***68*** 61 (***n*** = ***is***) *levamen*] *levamus* GD'LCHp; ***y*** suspicor primum (ut saepissime) mutatum esse in ***i***, tum ***i*** in ***t*** (cfr. ***64*** 153 *iniecta*] *intacta* GDLCp *intecta* H, Schwabe De codd. 17, praef. XXV); ceterum cum ipso ***t*** confusum est ***27*** 7 *Thyonianus*] *antonianus* L. ***r*** saepe cessit literis ***t***, ***s*** aliis, ut ***64*** 392 *ruentes*] *tuentes* GD'L[b]Cp *tuentis* L[a]; **68** 139 *iram*] ingeniose Santenius e codicum syllaba ***na*** reduxit; ***31*** 5 *credens*] *crederis* GD'H; cfr. Plin. N. H. 4, 93, ubi cod. Riccard. habet *cytitur* pro *circiter*. Restat ultima lineola, ad quam explicandam adnoto ***i***, ***l***, ***t*** paene nihil differre, cfr. **67** 42 *ancillis*] *conciliis* GLCHP, D; ***114*** 1 *saltus*] *salius*. Mihi certe hic consensus, ut in nomine proprio, tantus videtur esse, ut harum rerum gnari in Catullo maiorem non desideraturi sint.

11 Etsi quae ad recte scribendi scientiam pertinerent, exceptis peculiaribus quibusdam, in universum ab hac disputatione seclusa esse volui, tamen ne quis miretur, quod v. 2. 10 neglecta adsimilatione, quae vocatur, *inpudicus* probem, contra v. 11 *imperator*, sciat me id facere auctoritate motum inscriptionum, quotquot mihi inspicere licuerit, plus sescentiens sine ulla exceptione sic exhibentium, quamquam eaedem *inperare*, *inperium*, *imperium* promiscue, licet *imperium* multo saepius, habent.

13 Legendum est *vostra*; cfr. ***55*** 22 *vostri*] *ve* (sscr. *no* G[2]) *stri* G *nostri* DLCHp; ***61*** 209 *vostri*] *nostri* GD'LCHp *vestri* d; ***66*** 87 *vostras*] *nostras* GD' LCH *vestras* dp; ***26*** 1 *vostra*] *nostra* GDLCHp; ***58*** 1 *nostra*] *vestra* GLCH; ***42*** 22 *vobis*] *nobis* GDLCHp; ***67*** 7 *nobis*] *vobis* DCp; ***64*** 338 *vobis*] *nobis* D; **99** 9 *nostro*] *vestro* D'. Eiusdem pronominis recentior[18]) forma per ***e*** scripta legitur

[18]) Cfr. Quinctilian. I 7, 25: „Quid dicam vortices et vorsus ceteraque ad eundem modum, quae primo Scipio Africanus in ***e*** literam secundam vertisse dicitur?" Cfr. I. H. Voss. ad Vergil. Georg. I 65.

64 160. **14** 25 *vestras*; **99** 6 *vestrae*] *nostrae* p; **66** 83 *vester*] *vestet* D'C; **71** 3 *qui vestrum*] *qui nrm* G (fuit prius *vrm* = *vestrum*) *qui nostrum* dp, *questrum* L'C; **68** 51 *vestrum*] *nostrum* Dp.

15 In V fuit: *Quid est alit sinistra liberalitas.* Non excitabo tragoedias, quamquam res utique memorabilis est, quod his grammaticorum locis: Charisii II p. 133 P. 159, 30 K. Diomedis I p. 323 P. 333, 32 K. et p. 561, 12 K. Prisciani XIII p. 959 P. 8, 1 H, XV p. 1014 P. 77, 12 H, quod omnibus his, inquam, locis *alis* (= *alius*) tantum commemoratur, non item *alid*. Quiani enim, quod Lucilio [19]) et Lucretio licuisse scimus, ut *alid* pro *aliud* (quamquam hic fere in certis quibusdam loquendi formulis) ponerent, idem Catullo licuisse concedamus? Verum quorsum haec? Non pernego quae nunc vulgo recepta est coniectura *alid* ferri posse propter formam, pernego posse propter sententiam. In antecedentibus enim cum, quid sit tandem omnino sinistra liberalitas, nondum dictum sit, v. 15 quaeri non potest, quid sit aliud. Namque nescio quo pacto v. 15 perlecto ilico quaerimus: Quam quid aliud? Itaque apparet hoc loco nihili esse quod Pleitnerus laudavit exemplum e Cic. Phil. II 28, 70: „Quid est enim aliud Antonius?“ Nam ibi verbis proxime antecedentibus Cicero Antonium appellaverat et inpudicissimum et nequissimum. Violentius sane grassatus est, sed quale fere genuinum esset probe sensit Froehlichius. Nam aut omnia me fallunt aut hac coniectura Catulli manum recuperabimus:

Quid istum alit sinistra liberalitas?

Alendi enim verbo codicum memoria tradito, quoniam concentui cuidam edendi similiumque notionum per totum carmen quasi auribus percepto mirum quantum et ipsum concinit (cfr. 2. 10 *vorax*, 4 *unctei*. 22 *uncta*. 14 *comesset*. 16 *heluatus est*. 22 *devorare*, quibus v. 19 et 23 e nostra coniectura duo infra addemus), haud facile caruerim. Contemptus autem significatio, quae saepissime in pronomine *iste* inest (etiam apud Catullum, cfr. **24** 5. **71** 3. **81** 3. **98** 3), quam insigniter huius carminis tenori conveniat, non opus est pluribus exponere. Quin etiam cum alere bestias locutio usitata sit, Catullus ira flagrans in beluarum quodammodo numerum Mamurram referre mihi videtur.

Origo corruptelae repetenda videtur ab *m* litera, quae suprascripta lineola notabatur, omissa, unde multa saepe menda nata sunt; cfr. **66** 70 *autem*] *aut* GLCHp; 74 *evoluam*] *evolue* GD'LCHp; **67** 7 *agedum*] *age de* GDLCp; **49** 7 *patronus*] *patronum* GCLrRc *patron̄* D (hoc idem esse arbitror quod *patronum*, cum Rc et D inter se simillimi sint, cfr. Schwab. Qu. I 12). Omnium autem mea sententia optime huc quadrat **64** 276 *tum ibi*] *tam* G *tibi* G^{3}DLCH Monac. *tum* LrP$_1$P$_2$MGu$_1$ Gu$_2$PuF Statii codd., *cum* Dr, quae omnes lectiones Rossbachii optima emendatione (bis probata a criticis anonymis in Zarnckii ephemer. 1854 p. 719, 1861 p. 666) facile explicantur; *tibi* enim conflatum est omisso *m* ex *tum ibi*. Similiter *ibi* et *tum* coniuncta leguntur **8** 6. Ut in *istu u* intercideret fieri facile potuit propter *a* literam sequentem simillimam, librariis dittographiam suspicantibus. *i* denique et *e* mutatarum exempla sunt **23** 27 *sat es*] *satis* GDLCHp; **66** 5 *relegans*] *religans* GD'LCH.

[19]) Cfr. Charis. I p. 86 P. 111. 18 K., Ritschl. De declin. quad. Lat. rec. p. 10 et 18.

16 Huius versus vocabulum paenultimum qua ratione scribendum sit ut recte constituere possimus, testimonia grammaticorum nonnulla adscribam. Paul. Diac. s. v. *heluo* p. 99 M.: „Heluo dictus est immoderate bona sua consumens, ab eluendo; cui aspiratur, ut aviditas magis exprobretur; fit enim vox incitatior.“ Ad haec Muellerus in adnotatione: „*Heluo*] Gloss. Labb.: *Heluo*, λαφυκτής, et: *Helluo*] ἄσωτος, καταφαγὰς (scr. καταφαγᾶς).“ Similiter Gellius N. A. II 3 (ed. Hertz.): „H literam sive illam spiritum magis quam literam dici oportet, inserebant eam veteres nostri plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset viridior vegetiorque. Atque id videntur fecisse studio et exemplo linguae Atticae. Satis notum est, Atticos ‚ἰχθὺν‘ et ‚ἹΠΠΟΝ‘ et multa itidem alia, contra morem gentium Graeciae ceterarum, inspirantis primae literae dixisse. Sic ‚lachrimas‘, sic ‚sepulchrum,‘ sic ‚ahenum‘, sic ‚vehemens‘, sic ‚incohare‘, sic ‚helluari‘, sic ‚halucinari‘, sic ‚honera‘, sic ‚honustum‘ dixerunt. In his enim verbis omnibus literae seu spiritus istius nulla ratio visa est, nisi ut firmitas et vigor vocis, quasi quibusdam nervis additis, intenderetur.“ [20]) Paulum vel potius Festum verbi originem recte repetivisse docent loci quales sunt Plauti Stich. V 2, 19: „Volo, éluamus hódie peregrina ómnia“; e. quicquid peculii est, profundamus; eiusdem Rud. II 7, 20: „Ch. Eho, an te paénitet, Ín mari quod élavi, nisi híc in terra iterum éluam? Sc. Éluas tu an éxungare, cíccum non intérduim;“ Trin. II 4, 5: „Coméssum, expotum, exúnctum, elutum in bálineis.“ Eluere enim proprie est abstergendo vel lavando tollere, unde facili transitu notio existit dilapidandi profundendive; eademque figura nos quoque sermone communi usi dicimus „*sein Vermögen verputzen.*“ [21]) Ceterum prorsus eadem ratio est et fictionis et significationis verborum *suspiciendi* et *suspicandi*. Quae cum ita sint, nullam video causam cur a scriptura „heluari“ recedamus, quae eadem in editione Ciceronis Orelliana Sest. 52, 111, De fin. III 2, 7, Dom. 47, 124 sine ulla lectionis discrepantia exhibetur. [22]) Codicibus autem Catullianis hac in re non nimium tribuendum esse haec evincant exempla: **61** 1 *Heliconii*] *eliconei* GD'LC; **63** 1 *charta*] *carta* GDL; **80** 4 *hora*] *ora* D'L; **63** 31 *anhelans*] *anelans* GD; **17** 15 *aedo*] *edo* GDH *hedo* C *haedo* Lp et **4** 6 *Adriatici* nolo urgere, quamquam Catullum per *h* scripsisse

[20]) Cfr. Quinctil. I 5, 19: „Illa vero nonnisi aure exiguntur, quae fiunt per sonos: quamquam per adspirationem (i. e. „quod attinet ad adspirationem“), sive adicitur vitiose, sive detrahitur, apud nos potest quaeri, an in scripto sit vitium, si **h** litera non sit notata; (sic ego vestigia Gothani et Voss. 2. (litera est, non nota Guelf. Turic. et omnes codd. atque edd. praeter Voss. 2. et Goth. notata Goth. Voss. 2., non est Goth.) secutus; Spaldingius: „vitium? si H litera est, non nota.“) cuius quidem ratio mutata cum temporibus est saepius. Parcissime ea veteres usi etiam in vocalibus, cum oedos ircosque dicebant. Diu deinde servatum, ne consonantibus adspiraretur, ut in Graccis et triumpis. Erupit brevi tempore nimius usus, ut choronae, chenturiones, praechones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma est (scil. **84**). Inde durat ad nos usque vehementer et comprehendere et mihi cet.“ Cfr. Corssen. Ueber Aussprache cet. I 49. 50.

[21]) helluo scribit a Graeco χελλών (pro χειλών) ducens L. Ross. in Mus. Rhen. nov. VIII 296. helluo et helluari seu heluari a χάλις, χάλιμος (χαλᾶν) Doederlein. Lat. Syn. VI p. 155. 156. 286.

[22]) Hoc acceptum refero officio prorsus amabili Henrici Eickholtii mei, qui non solum roganti mihi multa e libris, quorum mihi copia non erat, excerpta transmisit, sed etiam alia, quae mihi usui essent, ultro adiecit. Neque F. A. Lehnerus, vir humanissimus, quanta liberalitate principis regiae celsitudinis Hohenzollerani bibliothecae, cui hic praeest, copias mihi commodaverit, hoc loco grato animo non possum recolere.

crediderim, cfr. Wagner. Orth. Verg. 440 441; *hadriatici* certe exhibet etiam Plini N. H. palimps. Veron. p. 199, 25 et *hadriatico* p. 200, 7 ed. Mone. Sed incredibili paene socordia idem mendum commissum est **84** 1. 2. 4. 12, ubi GDLCH *Commoda, insidias, ionios,* pro *Chommoda, hinsidias, Hionios* habent. Denique literae falso geminatae exemplum est **23** 17 *Mucusque*] *Muccusre* GDLCH; contrarium literae, quae geminanda erat, semel scriptae **99** 14 *helleboro*] *eleboro* DHp *elebore* L (*elleboro* GC), de cuius vocabuli ***h*** fortasse recte omissa cfr. Wagner. l. l. p. 433. Ceterum modo *milia* modo *millia* codd. Catulliani praebent, in primisque G ***l*** duplicatae amans scripsit **86** 2 *singulla,* **115** 8 *mentulla,* **68** 114 *Pertullit* (= *Perculit*), 132 *contullit.* Ceterum multorum verborum scripturam inter ***l*** et ***ll*** fluctuasse docet Corssen. Ueber Ausspr. I 81 sq.

17 *Prima* supra p. XV vindicavimus. Obiter adnoto v. 17 et 22 male interpretari Drumannum Hist. R. III 733 n. 30 referentem ad Caesarem; pertinent aperte ad Mamurram, cum, quod poeta v. 16 dixit, id v. 17 sq. verum esse demonstretur.

19 In V fuit: *Hibera quam sit amni aurifer Tagus.* De huius versus integritate cum, antequam Schwabianae editionis novam conlationem nossem, vel idcirco vehementer dubitassem, quod Lachmanni testimonio fisus D *Hibera* omisisse putarem — quam rem haud parvi faciendam esse e similibus lacunis supra p. VIIII collectis intellegitur — postea quidem de illius opinionis praesidio me deiectum vidi, licet ne nunc quidem *Hibera* in D in versu 18 extremo additum propter ipsam conlocationem nihil suspitionis habere persuadere mihi possim. Sed longe gravius corruptelae argumentum inconcinnitas est orationis pleonasmo laborantis. Nam verbis *Hibera* et *quam scit amnis aurifer Tagus* bis idem exprimitur; satis erat aut „praeda Hibera“, aut „praeda, quam scit a. a. T.“ Idque sensit Bergkius progr. p. III haec scribens: „Primum offensioni est, Hiberam praedam plenius describi, cum antea simplici rerum enumeratione defunctus esset: solet enim Catullus in his aequabilitatem quandam studiose sectari;“ a quibus si adsensio tibi cohibenda esse videatur, causam, quaeso, indica, cur Catullus h. l. illam praedam pluribus extulisse censendus sit. Bergkii autem ipsius coniectura vel ideo displicet, quod, qui e verbo sciendi accusativum personae aptum fecerit, non memini bonum scriptorum me legere. Me iudice Catullus scripsit:

Obesa, quam scit amnis aurifer Tagus.

cum quo versu sequens versus, ut statim videbimus, arte cohaeret. *Obesus* duo proprie significat: edendo consumptum et sensu, si dicere fas est, mediali, edendo pingue factum. Cfr. Gellii N. A. XVIIII 7, 3: „‘Obesum’ hic notavimus proprie magis, quam usitate dictum pro exili atque gracilento; vulgus enim *ἀχύρως* vel *κατὰ ἀντίφρασιν* ‘obesum’ pro uberi atque pingui dicit.“ Mai. Class. auct. VII p. 574 (v. Lachm. Catull. carm. **39** 11): „Pinguis, grassus: nam obesus plus est quam pinguis. Catullus ait Aut pinguis ubera aut obesus et prossus.“ Exemplum quidem, quo praeda obesa dicta sit, fortuito non extare puto; certe non indagavi; sed cur, cum *uncta patrimonia* (v. 22), *pingues mensae* (**62** 3), *opima praeda* (Cic. Rosc. Am. 3) dicantur, *obesa praeda* dici non possit, nullus capio. Cfr. Festus p. 186 M.: „hostiae opimae praecipue pingues; et opima magnifica et ampla, unde

spolia quoque cet.;“ ib. p. 188 e Pauli excerptis: „Obesus pinguis, quasi ob edendum factus.“ Quanta autem illa praeda a Caesare annis 61 — 60 a. Chr. n. ex Hispania reportata fuerit (haec enim significatur, cfr. Haupt. Qu. 18, Schwab. Qu. I 208) disci potest e Plut. Caes. 12: *ἀπηλλάγη τῆς ἐπαρχίας αὐτός τε πλούσιος γεγονὼς καὶ τοὺς στρατιώτας ὠφεληκὼς ἀπὸ τῶν στρατηγιῶν,* Appian. Bell. civ. II 8 (et 17), Drumann. H. R. III 188. Orta esse corruptela mihi ita videtur, ut scriba partim similitudine quadam apicum, partim verbis sequentibus *quam scit a. a. T.,* quippe ad quae suum inventum eximie quadrare opinaretur, in errorem inductus illud *Hibera* confingeret; quod eo facilius potuit inrepere, quod etiam *Ibera,* litera ***H*** non addita, scribitur, quodque genuinae vocis rarior quidam usus fuit. Restat, ut mutationem literarum explicemus. Ac literas ***s*** et ***r*** in Langobardica scriptura sibi simillimas a librario minus diligenti et exercitato facile confundi ait Mone. Plin. N. H. ed. Sillig. VI p. XXXVIII; cfr. Diss. meae p. 40. E codd. Catullianis sunt: **45** 5 *aestuosae*| *estuore* G *estu ore* D^1 *estuere* H; **50** 18 *care sis*| *careris* GD'CP$_1$ *caneris* L; **39** 17 *Celtiber es*| *es* om. GDLCHp, oculis librarii in finem syllabae simillimae aberrantibus. ***H*** autem literam saepe inepte praefixam invenimus, velut **62** 7 *Oetaeos*| *hoc eos* GD'LCpP$_1$ *hoc eoos* H *hec eos* libri Statii; **63** 39 *oris*| *horis* GDLCHp; **67** 22 *ad*| *hanc* GDLCHp; **64** 229 *ac*| *has* GDLCH; **66** 2 *obitus*| *habitus* GLCHP$_1$Dr Monac. duo Statii. ***o*** denique et ***i*** confusorum exemplum est **63** 66 *corollis*| *circulis* GL'CHpdP$_1$ *curulis* L^2 *circulus* D^1; cfr. **45** 1 *Septimius*| *septimos* GD'LHp. Ne denique exemplum nominis proprii nexu ac vicinitate aliarum vocum pro appellativo falso inlati desideretur (quod sane contrario accidit multo rarius), legitur **64** 25 *taedis*| *thetis* GDCH *tethys* L'p, praecedente Thetidis nomine v. 19. 20. 21.

De *sit* pro *scit* scripto cfr. **93** 2 *Nec scire*| *Nec si ore* GLCP$_1$ *Nec* (*Ne* d) *si orem* dp *ne nisi orem* D^1 *Nec si in ore* H, et contrario errore **34** 21 *Sis*| G^1 *Scis* GD'LCH; **78** 10 *sis*| *scis* GD^1; **68** 137 *simus*| *scimus* L'C; **17** 22 *sit*| *scit* H. De locutione cfr. Tibull. III 3, 29: „Lydius aurifer amnis“ et Ovid. Am. I 15, 34: „Cedant carminibus reges regumque triumphi, Cedat et auriferi ripa beata Tagi,“ quo loco *beata* significatione saepe obvia id est quod *dives* nostroque *obesa* plane respondet. Eodem sensu *beatus* legitur Catull. **51** 15.

20 In V fuit: *Hunc Galliae timet et Britanniae.* Tot coniecturarum si vel una aliquam probabilitatis atque adeo necessitatis speciem prae se ferret, non futurum fuisse puto, ut ad hunc usque diem novae proferrentur. Criticos nonnullos quasi titubasse dicas inque his alioquin vel maxime sobrios, veluti Lachmannum, utpote qui in hoc versu tantum sibi indulserit, ut tali ratione ex omnibus omnia efficias. Atque iam Scaliger nec sententiam cohaerere nec de Mamurrae timore cogitari posse intellexit, licet iniuria versum spurium esse putaverit. Verum reliquis omnibus cum multo melius de hoc versu meruerit Bergkius, eius verba gravissima verissimaque adscribere liceat tantum non omnia: „Istas [scil. Lachmanni et Hauptii] coniecturas satisfacere nego atque pernego: versus enim parum apte cum proximis potest conciliari: si poeta hoc versu Gallos et Britannos compellaret, etiam finitima verba *Quid hunc malum foretis* forent ad Gallos et Britannos referenda; at nihil minus fit: Caesarem et Pompeium his novissimis versibus poeta affatur, itaque oratio parum

recte procederet [23]) parumque perspicua foret, a quo vitio Catullus in his quidem poematis sedulo cavit. Sed longe gravissimum argumentum hoc est, quod verbum *timendi*, quod tuentur critici, ab instituta sententia prorsus abhorret: cum timor sit mali appropinquantis, ut Cicero Quaest. Tusc. IV. 8. recte adnotavit, Catullus hoc verbo tum demum uti potuisset, si Mamurra in istas provincias profecturus fuisset: at iam reversus erat, iam utramque provinciam expilaverat, Galli et Britanni satis superque experti erant Mamurrae rapinas.“ [24]) Rectissime ille; nam v. 3 legitur *habere*, non *habiturum esse*. Verbo igitur timendi nullus locus; pro quo e codicum vestigiis Bergkius ingeniosissime restituit *ultima*, ea una re de inventi praestantia tamquam detrahens, quod apud Catullum *et* particulam traici posse existimat. Quod certo existimaturus non fuit, si Hauptii Obs. crit. p. 25 (cfr. p. 32. 42. 46. 48. 53) diligentem copiosamque de ea re disputationem attente legisset. Is enim non contendit solum, sed etiam accurata doctaque poetarum usus disquisitione et exemplorum enumeratione rem ita ad liquidum perduxit, ut plane adsentiendum sit dicenti, istam copulativas coniunctiones traiciendi consuetudinem incognitam antiquissimis poetis Latinis increbruisse primum circiter septimi ab urbe condita saeculi finem, sed paulatim neque ut omnibus pariter placeret; contra apud poetas aetatis Augusteae esse creberrimam. Neque debebat provocare Bergkius ad Catull. **51** 9; nam ibi cum v. 8 in codd. desit, hi duo versus ita coniuncti fuisse possunt, ut post *Lingua* virgula posita *sed* particula verbum *torpet* praecedenti alicui verbo opponeretur. Sed utut id est, mecum senties, quam infirmo vel potius nulli sit unus locus ille laciniosus Bergkii opinioni praesidio. Sed miror eundem Bergkium in operis feliciter suscepti quasi medio decursu substitisse; nam ut Britanniam, ita Galliam quoque suum epitheton e v. 3 repetitum recuperare propter orationis aequabilitatem consentaneum est; qua eadem aequabilitate plurales numeri *Galliae. Britanniae* dissuadentur. Ergo sic emendaverim:

Obesa, quam scit amnis aurifer Tagus.
Co mata Gallia, ultima Britannia.

Inest in versibus, quales nos constitutos esse volumus, aperta cumulatio ex animo poetae iratissimo profecta. Rei naturae convenienter orsus est poeta in primo carmine a commemorandis praedis Gallica et Britannica, quarum cum et memoria recentissima sit et magnitudo inmensa, summopere indignatus in medias tamquam res abripitur (v. 1 sq.). Iam postquam v. 23. 24 (a nobis cum Schwabio post v. 10 insertis) Pompeium et Caesarem ***omnia*** *perdidisse* criminatus est, ne calumniatus esse videatur, v. 18—20, quaenam sint illa *omnia*, singulis, quas illi diripuerint, terris enumeratis declarat. Simul intellegitur, ut id statim addam, quam egregie illi *omnia* i. e. orbi terrarum, quem regionibus remotissimis Catullus significari more poetico voluit, Hauptii *orbis* v. 23 respondeat. In quo quod Galliam et Britanniam, a quarum praedarum memoria carmen proficiscitur, iterum Catullus commemorat, quod porro praedas illas tempore non plane congruas in unum quasi coacervat, idque ad augendam vim, qua effusio rapacissima quasi ante oculos ponatur, asyndetice, haec omnia facit

[23]) Hoc idem iam viderat Schwabius Qu. I 202.

[24]) Consentit Helbig. Deutsche Iahrb. f. W. u. K. 1842 p. 1214, ceterum et de hoc v. et de v. 23 desperans.

ira inflammatus, qua maxima animus humanus inflammatus esse potest. Ceterum cum illa tria: *Tagus Gallia Britannia* pari pondere [25]) essent, ne poterat quidem ad *ultima* particula copulativa *et* addi, quin orationis aequalitas a bonis scriptoribus diligenter observata violaretur (cfr. Haupt. Obs. crit. 31 et quem ibi laudat Madvigium in epistula ad Orellium data). Talium autem repetitionum, quales verbis *Comata Gallia, ultima Br.* continentur, quam studiosus Catullus fuerit, his cognosci potest locis: **29** 2. 10. 5. 9. **8** 3. 8. 11. 19. **13** 1. 7. **16** 1. 14. **36** 1. 20. **49** 5. 6. **52** 1. 4. **57** 1. 10. **8** 5 coni. **37** 12. **23** 1 coni. **24** 5. 8. 10. **24** 2. 3 coni. **49** 2. 3. **41** 3 coni. **43** 1. **41** 4 coni. **43** 5; praeterea cfr. carmm. **42. 45. 62. 82. 92.** alia.

De origine corruptelae sic mihi videtur: Syllaba *ta* vocis *Comata*, oculis librarii a priore ***a*** in alteram aberrantibus, primum excidit; [26]) uno autem orto mendo saepe mirum est quam facile alia oriantur. Itaque tantum de primo pauca dicam. Similiter excidit **30** 7 *me* post *inique* in GDLCHp; **64** 55 *re* post *se* (***visere***), **64** 138 *miserescere*] *mitescere*. **62** 12 *meditata requirunt*] *meditata requaerunt* D' *meditare querunt* (*queruntur* H) GLCH. Erroribus prorsus gemellis in Plinii N. H. palimpsesto saec. IIII exeunte vel V ineunte scripto (ed. Mone. in vol. VI ed. Plin. N. H. Sillig.) p. 112, 11 legitur *odora secundus* pro *odorata secundus*; ib. 137, 1 *Apollo sianus* pro *Apollo Sosianus*. 200, 8 *divos Augus* pro *divos Augustus*; cfr. ib. proleg. p. XXIV. Lucret. I 861 *corpore*] *core*, 874 *quae alienigenis*] *quae lignis*. II 155 *se retrahuntur*] *se trahuntur*. 166 *Ut rideant*] *Ut deant*] 520 *Ancipiti*] *Ancipi*. Sed qui potest ex *Coma* fieri *Hunc?* Quaeris? Apicum numerus concinit; quid desideras amplius? Nihil in hoc genere fieri non posse ostendant tibi ***c*** mutata in ***a*** vel ***d***, ut **66** 45 *cumque*] *atque* GLCH; **3** 12 *Illuc*] *Illud* G D'LCH; **64** 388 *cum*] *dum* GDLCHp; ***a*** in ***h*** **10** 8 *aere*] *here* GD'LC *habere* H (nisi hic alia causa subest), ***d*** in ***n*** **91** 9 *id duxti*] *induxti* GDLCHp, ***a*** in ***c*** **4** 20 *aura*] *cura* GD'LCH, **64** 116 *a*] *cum* GD'LCH. *Et* denique particula, cum *ultima* corruptum esset in *timet*, facile inseri potuit a librario necessario requiri et propter antecedens *tim**et*** excidisse opinante.

21 *Foretis* ad Caesarem et Pompeium referendum est. *malum* adiectivum (non interiectio) est coniungendum cum *hunc*; cfr. **5** 12 *ne quis malus*; **64** 175 *malus hic*.

23 In V fuit: *Eone nomine urbis opulentissime*. Quod Hauptius a Catullo

[25]) De praedarum a Catullo memoratarum magnitudine in universum cfr. Appian. Bell. Mithr. 115. 116, Sueton. Iul. 47. 54. Plut. l. l. Ceterum „ultima Britannia“ non tam praedae causa adita est a Caesare, quam inde nullam eum reportasse scimus (cfr. Drum. H. R. III 297), quamquam insulam petisse spe margaritarum multi prodiderunt (Suet. l. l. 47), quam propter ingentem, quae Romanis esse videbatur, insulae longinquitatem gloriamque inde parandam. Consulto hic praetereo Drum. l. l. 303 quemque is laudat Cic. ad Att. IIII 17, 3, cum Catullum nonnisi de priore Caesaris expeditione Britannica loqui potuisse demonstraverit Haupt. Qu. 16 (cfr. Schwab. Qu. I 205).

[26]) Nisi potius syllabae sequentis ***Ga*** aliquod momentum fuisse statuere praestat; cfr. **66** 58 Graia] tratia L[2], Lucret. III 633 Haud igitur] Auditum. IIII 544 regio] (coni. Lachm., prob. Bergk. Ind. schol. Hal. aest. 1865 p. VII) retro. Ceterum videsis quae de **t** et **g** literarum similitudine adnotavi Lect. Catull. p. 46. Potuit igitur etiam ab initio syllabae ***ta*** ad initium syllabae ***Ga*** transiliri, quale mendum crebro commissum est.

per ironiam dici piissimos contendit, quos intellegi velit inprobissimos, etsi iam propter summam acerbitatem, qua poeta adversarios non tam ludificatur aut inridet, quam proscindit et lacerat, [27]) parum placet, tamen concederem fortasse, dummodo ne *piissimus* Catulli temporibus verbum Latinum omnino non fuisse testarentur haec Ciceronis Phil. XIII 19, 43: „Tu porro ne pios quidem, sed piissimos quaeris, et quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis.“ Huic testimonio Hauptius opposuit Pompei grammatici (p. 131) verba, collectos esse a Capro, magistro Augusti Caesaris, e Ciceronis epistulis eos locos, quibus, quamquam Antonium ob id vituperasset, tamen ipse dixisset *piissimus*. Sed recte Muetzell. ad Curt. Ruf. VIIII 25, 17, quamquam apud Senecam, Quinctilianum, alios [28]) illius formae certa exempla reperiantur, a Ciceronis tamen aetate eam abiudicandam esse censet; adeo enim decisa et definita („omnino nullum — novum“) eius esse verba. Ac profecto ridiculum fuisset, Ciceronem eius vocabuli usum vituperare, quo cum ceteri uterentur, tum ipse. Cumque hodie certe ne unum quidem illius formae apud Ciceronem exemplum inveniatur, equidem maluerim ipsi Ciceroni fidem habere, quam vel pluribus grammaticis, quos in eiusmodi rebus saepe fidei sublestae esse constet. Sed antequam qua medela ipse censeam locum sanandum esse aperiam, adferre libet aliquot antiquitatis testimonia, quibus curatio tamquam praeparetur. Lucan. Pharsal. VII 752, postquam „raptum Hesperiis e gentibus aurum“ (v. 741), „Eoaeque gazae“ et „tot regum fortuna“ a Caesare milites ad Pompei castra diripienda inpellente enumerata sunt, de magnitudine praedae haec leguntur: „Invenere (scil. milites) quidem spoliato plurima mundo Bellorum in sumptus congestae pondera massae: Sed non inplevit cupientes omnia mentes Quidquid fodit Hiber, quidquid Tagus expulit auri, Quodque legit dives summis Arimaspus arenis“; (cfr. I 125: „Nec quemquam iam ferre potest, Caesarve priorem, Pompeiusve parem;“ ib. 129: „Nec coiere pares: alter, vergentibus annis In senium rel.“) Porro Petronii 119 (De bell. civ. 1): „Orbem iam totum victor Romanus habebat, Qua mare, qua terrae, qua sidus currit utrumque. Nec satiatus erat.“ Florus III 10, 16 (I 45, 16 ed. Halm.): „Omnibus terra marique peragratis respexit (scil. Caesar) Oceanum et, quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alterum cogitavit;“ idem IIII 2, 11 (II 13, 11 H.) Caesarem, Crassum, Pompeium „pariter potentiae cupidos“ appellat. Cfr. Vell. Paterc. II 46: „Cum deinde inmanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Caesar in Gallia ageret, nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis innumerabilibusque caesis et captis

[27]) Falso mihi obiceres similiter v. 11 per ironiam dictum esse imperator unice. Nam Caesarem magnum ducem esse Catullus negare non poterat; sed quod hic tantus dux Britanniam Romanis antea inaccessam nonnisi Mamurrae hominis nequissimi locupletandi causa petisse videretur, id ipsum eo maiori opprobrio suo iure illi vertere poterat. Ceterum Sueton. Oth. 12: „Multi praesentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes iacentis exosculati, fortissimum virum, unicum imperatorem praedicantes, ibidem statim nec procul a rogo vim suae vitae attulerunt.“ Eademque Caesaris appellatio cum Catull. **54** 7 legatur, haud scio an apud Romanos sollemne quoddam habuerit.

[28]) Etiam in inscriptionibus Augusto posterioribus piissimus legitur, quamquam multo saepius pientissimus; atque illud quidem per complures inscriptionum collectiones dedita opera exempla conquirens mihi enotavi sedeciens, hoc vero quadragiens bis. Quod autem Mommsenus C. I. L. vol. I 1086 exhibet piiSSVMO, in eo trium priorum literarum supplementum equidem non probaverim.

hostium milibus etiam in Britanniam traiecisset exercitum, alterum paene imperio nostro ac suo quaerens orbem, rel.“; ib. II 29, 2: „[Pompeius] paene omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima in civitate libera dominaque gentium indignari, cum omnis civis iure haberet pares, quemquam aequalem dignitate conspicere;“ cfr. ib. II 33, 3. L. Ampelius lib. mem. 40, 3: „Belli species magis quam causa fuit negatus a senatu Caesari consulatus, ceterum utriusque aemulatio et cupiditas imperii occupandi.“ Dio Cass. XXXXI 54 Caesaris et Pompei indolem describens cum alia tum hoc dicit, utrumque, ut sua consilia perficeret, magnam pecuniam iniuste non rapere non potuisse (*πολλὰ χρήματα ἀδίκως συλᾶν*). Denique Sueton. Iul. 54: „Abstinentiam neque in imperiis neque in magistratibus praestitit, cet.“

Ex omnibus his locis videmus, et Pompeium et Caesarem, ceterum dispares, [29]) pares fuisse insatiabili imperii pecuniaeque, quae illi adipiscendo inserviret, cupiditate. Quare haec Catullum scripsisse puto:

Eone nomine, orbis o pares fame
Socer generque, perdidistis omnia?

Orbis genetivus pendet e *fame*; ***omnia*** etiam l. l. Catal. Vergil. per se, non addito genetivo, dictum est. Famis vocabulum eo magis nostro loco convenit, quo plus ei acerbae contumeliae inest, neque neglegendus concentus ille notionum, de quo supra p. XXII dixi. Similiter Vergil. Aen. III 57: „Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames!“ Florus III 21, 6 (II 9, 6 H.): „Initium et causa belli inexplebilis honorum Marii fames.“ Horat. carm. III 16, 17: „Crescentem sequitur cura pecuniam Maiorumque fames.“

Originem corruptelae fortasse repetiverit quispiam e glossemate *opum* interpretamenti loco supra scripto; nec fortasse nullius momenti fuit ***o*** interiectionis, qua Catullus saepissime utitur, conlocatio insolentior; cfr. **61** 1: „Collis o Heliconii Cultor.“ Sed ne de singularum quidem literarum enodatione prorsus desperandum est. (*par* his locis corruptum: **62** 9 *par est*] *parent*; **28** 11 *pari*] *parum*.) Vt literas consentientes omittam, ***a*** = ***u*** habes **14** 19 *Suffenum*] *Sufferam*, **68** 124 *volturium*] *voltarium*, **66** 27 *adepta's*] *adeptus* 91 *tuam*] *tuum*. **62** 58 *Cara*] *Cura* . ***r*** et ***t*** cum confusae sint, [30]) quin ***r*** et ***l*** potuerint, dubium non est, etsi in codd. Catullianis exempla non repperi praeter **68** 107 *absorbens*] *absolvens* D', **68** 67 *clausum*] *crassum* D; sed cfr. Lucret. II. 414 *penetrare*] *penetrale*: 455 *procursus*] *perculsus*; III 914 *fructus*] *fluctus*; VI 754 *Graium*] *glaium*: 803 *cerebrum*] *celebrum*; II 54 *laboret*] *raboret*; VI 1091 *cladem*] *cradem*: 1177 *mali*] *mari*. Nec praeter **62** 9 pro ***s*** indagavi ***n***, sed indagavi ***m***, ***d***, ***p*** alia, ut **17** 18 *Nec se*] *Nec me*, **36** 5 *Desissemque*] *Dedissemque*. Sed sentio iam in eis, quae secuntur, non omnia ad unguem mihi congruere, quod h. l. nec cuiquam contigit criticorum, nec umquam continget. Ceterum ***f*** pro ***s*** saepe occurrit, velut **68** 79 *desideret*] *deficeret* GLCHp *deficieret* D'; **12** 4 *salsum*] *falsum*; **74** 1 *solere*] *flere*: **14** 16 *salse*] *false*: **89** 6 *sit*] *fit* LCH; **90** 2 *Persicum*] *per ficum* D';

[29]) Moribus Pompeius in primis castis erat; cfr. Drumann. H. R. IIII 542.

[30]) Cfr. **12** 1 Marrucine] Matrucine. Quid quod pro ***r*** vel ***n*** scriptum invenitur et ***b*** et ***r*** et ***c*** et ***p***?

103 1 *Silo*] *filo* CH, et e contrario *s* pro *f* **63** 64 *fui*] *sui* GD; **64** 49 *fuco*] *suco* HF *succo* Dr; **113** 4 *fecundum*] *secundum* H; Lucret. I 739 *profatur*] *prosatur*. Notabile porro exemplum extat in Donati codice omnium optimo et antiquissimo (saec. XI) Parisino 7920 (cfr. Sueton. Rell. ed. Reifferscheid. p. 28 = Ind. schol. aest. Bonn. 1859 p. IX; Mus. Rhen. nov. XII 176): *Furius tres*] *siministros*, nec alienum nostro loco quod ibidem legitur *habuit*] *si abuit*.

Iam ut eorum, quae adhuc de carm. 29 disputavimus, summam quasi uno oculorum obtutu conspicere possis, adscribam totum carmen, quale fere e Catulli manibus prodisse arbitror.

1 Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi inpudicus et vorax et aleo,
Mamurram habere quod Comata Gallia
Habebat unctei et ultima Britannia?
5 Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia
Vt albulus columbus Assyri domos?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
10 Es inpudicus et vorax et aleo.
23 Eone nomine, orbis o pares fame
Socer generque, perdidistis omnia,

11 Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima occidentis insula,
Vt ista vostra diffututa mentula
Ducentiens comesset aut trecentiens?
15 Quid istum alit sinistra liberalitas?
Parum expatravit an parum heluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia
Obesa, quam scit amnis aurifer Tagus,
20 Comata Gallia, ultima Britannia.
Quid hunc malum fovetis, aut quid hic potest
Nisi uncta devorare patrimonia?

Corrigenda.

Pag.	IIII 35	pro	fuerit	leg.	fuerit, .
„	VI 10	„	*suscipiant*	„	*suscipiant*) .
„	„ 26	„	correptelae	„	corruptelae .
„	„ 32	„	prae	„	pro .
„	VIII 11	„	mollioris	„	durioris .
„	„ 27	„	*mihi*	„	*mihi*] .
„	„ 35	„	Colonia	„	*Colonia* .
„	XIII 10	„	ἀθέτησεν	„	ἠθέτησεν .
Ubique		„	J	„	I .